





Iucundum & Doctum Versum cupis, OPTIME LECTOR?
ROYERI MUSAS consule: Eumqꝫ dabun[t]

Politissimo Operi, haud satis politam Iconem prae[fixit]

J. A. S. C[...]



CAROLI DESIDERII
ROYERI
DE NOMMCEIO,
SS. Theol. & J.U. Doctoris,
MUSARUM JUVENILIUM
PARS PRIMA,
SELECTORUM
EPIGRAMMATUM
LIBROS VI.
COMPLECTENS.
EDITIO SECUNDA,
Auctior & Emendatior.



PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. XC.

REVERENDO PLURIMUM,
PRÆNOBILI, ET EXIMIO DOMINO,
DN. CAROLO DESIDERIO ROYER DE NOMMCY,
DOM. DE BARVILLA, KIRBERGA, ETC.
ECCLES. BIPONT. POST RESTITUTAM RELIGIONEM CATHOLICAM
RECTORI PRIMO,

F. G. è S. J. S. D.



Ccepi Tuos Triumphos, REVERENDE PLURIMUM, PRÆNOBILIS, ET EXIMIE DOMINE, pro quibus gratias immortales rependo. Sors bona faxit, ut in Eo invenias Gratum Achillem, qui in Te Disertissimum, eumque Extemporalem Homerum invenit. (*) Quos imperârunt Amici in Tui commendationem Versiculos fieri, feci: sed hæsitante Calamo; quippe qui ex Hippocrene

A dudum

(*) Autor Ser. Delphini Victorias ad Rhenum Carmine Extempoiali cecinit, sub Exitum Anni 1688.

dudum non bibit, Sobrietati assuetus in Philosophorum Peripato. Occurrit mox Nasonianum illud applicandum Tibi:

Quod faceres Versus inter fera murmura Belli,
Cycladas ægeas obstupuisse putem.

Quis enim unquam Poëta repertus est, qui Citharæ suæ sonitu Martium Tubæ clangorem, Tympanorumque mugitum superaret? Musa sanè Tua ipso Marte constantior est. Intrepidam illam semper experti sumus. Cùm tonaret Cœlum: Innubi Parnasso Fulmina risisti, Pæana cecinisti. Cogitavi sæpe mirabundus, quomodò adhuc meditareris Versus, post tam multiplicem aleam versus & reversus. Sed Deus magnos Spiritus magis exercet.

Venam ergò Clarijs, quæ in Te salit, ebria Lymphis,
Nemo Tibi potuit sistere? Nemo potest?
Vel Maris interea Phœbes stitit Orbita Fluctus:
Nulla stitit Fluxus Lunavé, Solvé Tuos.

Saxa

Saxa per & Scopulos, quibus eſt colliſa, vel ipſe
A Curſu, ut poſſet currere, duxit opes.
Ecquid enim, cui non ſua ſit data meta quietis?
Sæpe vel invitos detinet illa ſuos.
Sic vada ſiſtit hyems, & aquas ſufflaminat æſtas;
Mollibus hæc, rigidis Nexibus illa potens.
Pegaſeis ſed nulla Tuis eſt Meta Fluentis:
Uda meant ſolitis, haud retinenda, vijs.
Currere quâque ſinas: neque Tu, Sacra Vena, liquores
Contrahe, Phœbæis largiter aucta jugis.
Nil hinc vel Fati, Vitæ, Lethive timendum;
Muſa vetat tales occubuiſſe Viros.

Plura cantare Muſa mea incompta vix audet coram Apolline ſuo. Epigramma hoc,

Si nimis obtuſum eſt, nec morſu dentit acuto:
Illum, quem quis amat, pungere Nemo ſolet.

Ego interim beneficum cœli Regem precabor, ut Te incolumem diu, Religionis propagationi, bonarum Artium ſplendori, Omniumque bono ſoſpitet & fortunet. Moguntiæ 14. Jan. Anno Chriſti 1689.

Rev. pl. Præn. & Exim. Dominat. Tuæ.

Addictiſs. Serv. in Chriſto,

F. G. S. J.

AD PLURIMUM REVERENDUM,

PRÆNOBILEM, ET EXIMIUM DOMINUM AUTOREM,

Epigrammatum ſuorum Libros VI.

EDENTEM.

QUod cecinit Vates: Habitârunt Dîj quoque Sylvas;
Id de Te meritò dicere Muſa poteſt.
Tu Deus es, Sylvas habitans, Tu doctus Apollo:
Atque Bipontini Gloria, Honorque Soli.
Urbe Pariſiacâ Tu, CAROLE, dignior eſſes,
Quàm Sylvis illis, quas Tua Muſa colit.

AD EUNDEM.

UNus vix uni par eſt: Par omnibus es Tu,
Quæ præſtare poteſt ingenioſa Manus.
Nam quod vix faciunt alij compluribus Annis:
Uno Tu totum, CAROLE, Menſe facis.
Per Te cuncta gemunt Europæ Præla; nec unum
Eſt expers Operis, quod Tua Penna dedit.
Gallia dat Verſus: (a) *Varios Germania Libros:* (b)
Argentina Preces: (c) *Amſtelodama Lyram.* (d)
Janua Linguarum es: quævis Idiomata calles.
Si Libri deſint, Tu Calepinus *eris.*

(a) Hi Epigrammatum Libri primò editi ſunt in Galliâ. *(b)* Francofurti edidit Autor, Specimen novum Diſcurſuum Moralium prædicabilium. *Lat.* Exercitia Servi B.V. *Lat* Artem placendi B. V. *Lat.* Hebdomadem Marianam morientium, *Lat* Meditationes octid. ſuper 7 Pecc. mort. *Germ.* (*c*) Argentorati edidit, Preces & Inſtructiones ſpirituales, uſui militum maximè accommodatas, *Gall* Ibidem recenter edidit, Pia Exercitia Hominis Chriſtiani, collecta ex varijs Scriptis S. Fr. Xaverij, *Germ.* Brevem & ſingularem Methodum Coronam B. V. recitandi,

tandi, *Germ.* Inexpugnabile Castrum Fidei Catholico-Romanæ: Sive Decisionem omnium Controversiarum per unicum Argumentum, *Germ.* Primam Concionem Moralem de Pace certò obtinendâ, *Germ.* Concionem de gloriosâ Exaltatione S. Crucis, cum Iconibus, & variis Devotionibus erga illam, *Germ.* Devotionem erga B. V. Reginam Pacis, *Gall.* &c. PRÆLVM BREVI SVBIBVNT, 1. Dissertatio de Verâ Ecclesiâ, *Lat.* 2. Speculum veræ Fidei, *Germ.* 3. Monita Paterna MAXIMILIANI, utriusque Bavariæ Ducis, S. R. I. Elect. ad FERDINANDVM Filium adhuc Trimulum, ad usum Serenifs. Burgundiæ Ducis, *Lat.* 4. Variæ Conciones morales cum Iconibus, *Lat.* & *Germ.* 5. Conciones in præcipuas Anni Festivitates cum Iconibus. *Germ.* 6. Concionator Extemporaneus: Sive Certa & Facilis Methodus, brevi tempore, & sine ullius alterius Libri Adminiculo, Concionem adornandi, *Lat.* 7. Hortus Latinitatis Germanico-Latinus: Sive Ars singularis Rem quamlibet è Germanico in Latinum eleganter traducendi. 8. Christus Adolescens Sive Hebdomada Adolescentis probi. *Lat.* 9. Florilegium Oratorium: Sive Novus Thesaurus Synonymorum, Adjunctorum, Phrasium, Amplificationum Oratoriarum, Transitionum, Eruditionum, &c. 10. Institutiones Oratoriæ, &c. *(d)* Lyric. Lib. 4.

Accinebat, & ex Animo gratulabatur,

J. D. V.

AD EUNDEM D. AUTOREM; VERSUS SCITISSIME CITISSIMEQUE CONSCRIBENTEM.

STans, Currens, Equitans, si tot Tu Carmina (fundis:
Carmina quot fundes, CAROLE, si Sedeas?

Ad Eundem.

UNA Te dicunt Aurorâ ſcribere centum
Verſiculos, Calamum nil remorante Tuum.
Iliadem, ſi ſic pergas, ſuperabis Homeri:
Vel, ſi non ſuperes, ALTER HOMERVS eris.

Ad Eundem.

CAROLE, ſi Libros Sex ſcribis Menſe vel Uno
Carminibus claros: Quæſo, quid Annus erit?
Si tot adhuc Libros bis denis ſcripſeris Annis:
Nomine prodibit Bibliotheca tuo.

Accinebat φιλίας ἕνεκα,
I. B. B.

RESPONSIO AUTORIS.

SCribenti Verſus certè mihi peſſima Laus eſt,
Lunâ unâ Senos evomuiſſe Libros.
Artifices Celeri ſic picta Tabella Colore,
Dum laudat *Properos, Impropriosque* notat.
Tubera naſcuntur quàm plurima nocte vel unâ.
Quæ ſubitò veniunt, diſpereuntque citò.





EPIGRAM-

EPIGRAMMATA QUÆDAM ANTEAMBULA.

AD ZOILUM

Autoris Titulum Vellicantem.

QUid ſtas pro foribus ? Cœco quid Murmure comples
Limina ? Tecta ſubi : vel citò vade vias.

Ad Eundem.

NE ſtupeas ut Vacca rudis, quæ egreſſa Bovili
Obſtupet, ut portam conſpicit illa novam.
Allatrat incaſſùm mediâ de nocte Moloſſus
Surgentis Lunæ non mediocre jubar.
Si jam cœcutis ad Lumen Liminis : Eheu !
Intrans ipſa Domûs Intima, Cœcus eris.

Ad Eundem.

MOME, meos carpis Titulos, & Nomina ; (Quæris,
Cur me ſic & ſic indigetare velim ?
Baptiſmus CAROLI dedit haud ignobile No-(men:
At DESIDERIUM Chrismata ſacra vocant.(*)
ROYERUS Nomen PATRIS eſt; De Sanguine nat9
NOMMÇEIO, Nomen jure adhibere licet.
BARVILLAM teneo, KIRBERGÆ gaudeo & Arce:
Cur igitur DOMINUS non Utriusque vocer?
DOCTOR ſi vociter, Nomen venerare, Labores
Hactenus aſſidui quod peperêre mihi.

Felem appello Catum, compello Canemque Molossum,
Hircum dico Caprum, nec mihi Nomen erit?
Dicor ego, quod sum: quod non sum, nolo (vocari.
Rusticus Agricola est, & Dominus Dominus.
Sed quid inutiliter tecum de Nomine certo?
Nominer, ut noscar: Cætera tollat Arabs.

(*) In Confirmatione sic nominatus.

Ad Eundem.

VEros Autoris Titulos & Nomina nôsti:
Scire cupis *Patriam*, ZOILE, jamque meam.
An TEUTO es? (Quæris.) Non sum. *GALLUSne?* Nec illud.
An LOTHARUS? Minimè. *Denique qualis eris?*
Non ego sum *Gallus*, *Lotharus* non, *Teutoque* nec sum:
Sed LOTHARO-GALLO-TEUTOQUE, *Zoile*, sum.
Gallia dat Leges, verùm *Germanica* Terra est;
Possedit *Lotharus* DUX, Lotharusque petit.
Amphibium vocites *Animal*, Non abnuo No- (men;
Communis Generis vel vocitato *Virum*.
Sic HIRCO-CERVUS, VULP-ANSER dicitur, In- (quis:
ENSque A PARTE REI sic RATIONIS eris.
Rectè ais: *Ens* ego sum *Compos Rationis*: At
Ens à parte rei Tu *Rationis* eris. *(Expers*

Tu

Tu Patriam culpas, Uno ſub Climate Multam:
Patria ſi probro eſt, Tu Patriæque probro.
Sed quid, MOME, meum Nomen Patriamque requiris?
Terra mihi ſemper Patria *quæque* fuit.

Ad Eundem.

CUjas ſim, quæris? MUNDANUS, *Zoile*, ego (ſum;
Incola nam Mundi totius eſſe libet.
Hæc Patria eſt, ubicunque benè eſt, ſit & ultima *Thule.*
Si in *Pathmo* benè ſit, Patria *Pathmos* erit.

Ad Eundem.

VErſus compono, ſcribo, tranſcribo, reſcribo:
Solvo Typos: Pretium Bibliopegus habet.
MOMUS habet gratis; Non lectos abjicit; Atque
Per Superos, clamat, *Carmina nulla valent.*
Heus, quid, Aſelle, rudis? Non Verſus accipe (noſtros:
Aut lege; Judicium tunc jaculare tuum.

AD LECTOREM.

DIſpliceant, placeantvé Tibi hæc Epigrammata, LECTOR.
Si Bona ſunt, Mea ſunt: ſi mala, ſuntque mea.

AD

AD EUNDEM.

SI similes Verſus alijs ſint fortè Libellis;
Dices: *Non Horto Flos venit ille Tuo.*
Sint Muſæ Teſtes, Judex ſit & æqvus Apollo:
Ex Horto potius Flos venit ille meo.

Aliud.

NEmo Hominum Vitijs ſine naſcitur undiq; Sanctus:
Et meus hic naſcens his ſine Verſus erit?

Aliud.

DIverſis diverſa placent; quod amaverit unus,
Oderunt alij; Nemo cuique placet.

POETA DE SUIS VERSIBUS.

SUaviter ut cantent, donatur Vatibus Aurum;
Atque ego nî Dono, non mea Muſa placet.
Muſa, quid hoc? Certè, *Lyra* vel tua diſſona valde eſt:
Vel nimis haſtato Vulnera Dente facis.

Aliud.

INvenit *Auritos* AURATI Muſa POETÆ;
Carmina nî dones, Ibis, Homere, foras.

Aliud.

AD LECTOREM.

EST Merces LAUS ipſa Tibi pro Carmine, Dicis;
Perſolvi Libros quid petis ære tuos?

Heus

Heus Bone, non satiat vacuum Laus inclyta (Ventrem;
Laudeq; nec solvi Bibliopola cupit.

Aliud.

CHerilum, Alexandri qui bellica Facta cane- (bat,
Hoc cum Rege suo pactum inijsse ferunt.
Versiculus quivis Pretio solvatur ut isto:
Optimus ARGENTO, *Pessimus* at COLAPHO. (*)
Ista paciscendi nunquam mihi Forma placebit
Nam vereor, Colaphos nè citò mille feram.

(*) *Erasmus Apoph. l. 8. n. 17.*

Aliud.

ESt meus hic Versus simplex: Non Luxus in (illo est;
Luxum nam vetuit REX modò Lege gravi.

Aliud.

MUSA, quid hoc? Ipsos audebis pungere Reges
Atq; impunè feres? Flagra, Rogumq; cave.
Respondet: *Nescis, Pictoribus atque Poëtis,*
Semper ad arbitrium Cuncta licere suum?
Nescis, Versiculum, qui non morderet acutis
Dentibus, excellens haud Epigramma fore?

POETA AD SUUM LIBELLUM.

MAlebat cunctas Alphonsus perdere Gem̃as
Quàm scriptum Prosâ Carminibusquẽ Librum. (*)
Eheu! nunc cedrinâ Gem̃æ clauduntur in arcâ:
Carmina & in medio pulvere spreta jacent.

Alphonsos

Alphonsos ô si posses reperire, LIBELLE!
Fulgida *Gemma* fores, qui modò *Stercus* eris.
(*) *Panorm. l. 4. de Reb. gest. Alph. Regis.*

Ad Eundem.


A Valde Doctis, Valdè Indoctisque caveto:
Ad Non Indoctos currito, PARVE LIBER.
Nam valdè Doctis Minor es, qui Ludicra cantas
Major at Indoctis, altiùs ire soles.
Non Nimis Indoct', Nimiùm nec Doct' ematte:
Sic Tibi, crede mihi, non malus Hospes erit.

Ad Eundem.

PARVE LIBER, nullos Emptores dicis adesse:
Bibliopolio tristè gemisque novo.
Incassùm quereris. Mercator plurimus adstat,
Qui te mercari, *Chare Libelle*, cupit.
Nam Mercatori cùm deficit apta Papyrus,
Quâ convolvatur Caseus atque Piper:
Te petit, atque suos te mox impendet in Usus.
Si malus est Versus, non mala Charta tua est.
Sic Tu Zingiberis, Piperisq;, & Aluminis albi,
Saccharis, & Casiæ nobile Tegmen eris.
Tunc varias sinè me Plateas, *Liber*, Urbis obibis.
Forsitan & quidam tunc Tibi Lector erit.

In Detractores & Invidos.

INdecores Animæ, Gens invida, perfida: cœno
Fœtenti gaudens, ut Scarabæus iners.
Istas Pagellas lacerare licebit; Honorem
Non tamen Autoris dilacerare licet.
Rodite Versiculos (pia pignora:) dumodò *Patris*
Integra permaneat non mala Fama, Sat est.



CAROLI DESIDERII ROYERI
DE NOMMÇEIO,
SELECTORUM EPIGRAMMATUM
LIBER I.
SACRA
COMPLECTENS.

---

1. ## *Libelli Oblatio.*
AD DEUM.

IN te sint hi Apices, DEUS, omnes, Syngraphæ Amoris;
Illis, ut Totus sim tuus, adde manum.

2. *Deus omni Elogio major est.*

CUi stat pro Elogio vasti hujus Machina Mundi:
Nequaquam Elogijs indiget ipse meis.

3. *Quid sit Deus.*

NUMEN dicendum Lumen: quo Lumine amato,
Cœcutire ipsâ Mens Babylone solet.

4. *In Infantem JESUM, supra Stramen recubantem.*

AUtor Sacratæ Flammæ descendit, ut urat
Pectora, Peccati conglaciata Gelu.

Sed

Sed timeo, nè ſint Paleæ, Sacræque recedant
Flammæ, Materiâ deficiente citò.

Idem Gallice.

Sur nôtre Seigneur couché ſur la Paille.

CE Feux, l'Auteur des Saintes Flammes,
Deſcend, pour embrazer nos Ames.
Mais je crains, que cet Element,
Ne s'étant attaché, que deſſus de la Paille :
Venant à manquer d'Aliment;
Au lieu de nous brûler, bientôt il ne s'en aille.

5. *Ad Chriſtum natum.*

PUppule belle, levi quem Stramine ſpecto reclinem:
Æterni Proles indubitata Patris.
Quantâ luce micant Oculi, Frons! Quàm benè certant
Cum circumſpiciis Sacra Labella Roſis!
Oſcula da figam mille & millena Labellis,
Et Fronti, & Manibus, Puppe tenelle, Tuis.
Inter tot tandem me Baſia mille juvabit,
Puppule belle, Tui languidum amore, mori.

6. *In Pueri JESU Lacrymas.*

VERBUM factum Infans ſilet, & flet dulcis JESUS;
Nimirum Lacrymæ pondera Vocis habent.

7. *In Puerum JESUM Circumciſum.*

LEpra Hominem dudum tenuit: da, Chriſte, Cruorem,
Nam Pueri innocuo Sanguine Lepra perit.

8. *Puer JESUS in Circumciſione Divinus Grammaticus eſt.*

MAgnus *Grammaticus*, non ſat memorabile *Verbum*
Divinum, accepto Vulnere, *Nomen* habet. (eſt.

Æterni

Æterni ut credas *Heteroclita Nomina* Regis:
Casibus in paucis quæ numerare queas.
Præteriti noſtros *declinat* Vulnere *Caſus*:
Præſentis Noxæ Sanguine delet Hydram.
In ſe dum ſcribit Cultro Præcepta *Futuri*:
Vita tua haud *Vitium*, *Barba*-que-*riſmus* erit.
Cùm ſit ab æterno *Activum*: ſe hoc tempore monſtrat
Paſſivum: Cultro Membra ſecante Dei.
Fortè *Modos*, *Numerosque* petis? Modus omnis ab illo eſt;
Certisque in *Numeris* Cuncta Creata gerit.
Tantus *Grammaticus* cùm ſit ſub Limine Vitæ;
Et tam perfectum præbeat Artis Opus;
Quantum DOCTOREM cernes, cum Dogmata Vitæ
Æternæ, in Templo poſt duo Luſtra dabit?

9. *In Cultrum Lapideum, quo Circumciſus eſt Puer JESUS.*

RUmpere, dure Lapis, duriſſima ſcindere Petra:
Divinam Pueri parce ferire Cutem.
Nî parcis, Scindêre olim: Cum morte perempto,
Dicetur: *Sciſſas condoluiſſe Petras.*

10. *In Eundem.*

QUid facis, ô Culter, quid acerbo Vulnere lædis
Delicias Matris, deliciasque Patris?
Te moveat Genitoris Honos, Te Gratia Matris
Flectat: Sævitiam ſiſtat uterque Tuam.
Eheu! Surdeſcit; non eſt, cur deprecer illum;
Saxeus eſt: noſtras non capit ille preces.

11. *In Eundem.*

ECquid in Uviferam, Culter furis impie Vitem?
Hæc nihil incultum, quod reſecetur, habet.

Me me, adſum ſterilis Palmes, Tu cæde; Quod in me eſt
Perverſum, Senſus, Os, Oculosque puta.

12. *In Stellam, quæ ſupra Stabulum Bethlemiticum diſparuit.*

AD SSS. TRES REGES.

QUod Cynoſura abeat: non Te Timor improbus angat
Naufragij, *Regum ter Veneranda Trias.*
Eſt extincta Pharos ſupra Bethlemidos Antrum:
Portus enim ardenti Mente cupitus adeſt.

Idem Gallicè.

AUX TROIS ROIS.

Sur ce que l'Eſtoile diſparut ſur lE'table.

DIſciples de la Foy, ne perdez pas courage,
Si le Ciel à deſſein vous ravit vôtre Nort:
Ce n'eſt pas qu'il vous vueille expoſer au Naufrage:
E'teignant vôtre Phare, il vous marque le Port.

13. *De Auro à Tribus Magis Puero JESU oblato.*

NUnc Hominum tandem ſperabit Chriſtus Amores;
Quandò illis Aurum ſuppeditare poteſt.

14. *In Canticum Simeonis:* Nunc dimittis, &c.

EXpoſcis properam, Simeon Sanctiſſime, mortem:
Scilicet haud dura eſt Mors, ubi Vita ſubeſt.

15. *In quandam Imaginem, in quâ Puer JESUS Pomum à Matre oblatum accipere recuſat.*

MUſtea cùm tua ſint, Virgo, cùm dulcia Poma:
Cur non Divinus Parvulus illa capit?

Eheu!

Eheu! fatalis non est Pomi immemor Evæ,
Prima quod infausto glutijt Ore Parens,
Hoc certè canâ retractat Mente Puellus:
Divinum tacitis Cor lacrymisque natat.
Hinc Tua, Sacra Dei Genitrix, felicia Poma
Frigidus aspectat, nec retinere cupit.
Quin & Sævitiâ dulci, Rugâque decorâ
Contrahit Os, Oculos asperat atque suos.
Quòd placeat tenero, si vis offerre, Puello:
Illicò quòd rapiat, porrige Virgo, CRUCEM.

16. *De Christi Amore erga Suos.*

PErpetuum à Christo Donorum Flumen, Amari est;
Hostis ei cordi est, ecquid Amicus erit?

17. *In Iudam Proditorem.*

MAjorem Furem Judâ non viderat Orbis;
Aurum alij capiunt: Cœpit at ille Deum.

18. *De Christo ad varias Præsidum Ædes Vinculis pertracto.*

FUnibus innexus Christus, tractusque Catenis,
Ducitur ad Regum, Pontificumque Domos.
Nimirùm vanam Servator noster ad Aulam,
Funibus & Vinclis non nisi tractus ijt.

19. *In Imaginem Christi Flagellati, ubi Flagra desiderantur: prostantibus cæteris Passionis ejus Insignijs.*

VIncula, Spina, Mucro, Clavi, Crux, Spongia, Arundo,
Omnia cùm prostent: Dic, Ubi Flagra latent?
Nulla latent, ah! nulla latent crudelia Flagra;
Vulnera cùm cernis, Flagra cruenta vides.

Vulnera consumptis restant inflicta flagellis;
Num meliùs pingi posse Flagella putes?

Idem Germanice.

Uber eine Bildnuß des Gegeisselten Christi: allwo alle Passions-Instrumenten sich sehen lassen / die Ruhten und Geisseln außgenommen.

CReutz und Nägel / Kett und Banden /
Schwamm / Rohr / Spieß und Dörner Cron;
Alles ist allhier vorhanden /
Was verwundet Gottes Sohn.
Wo seind dann die scharffe Ruthen /
Die sein zarten Leib zerfetzt?
Der da siht die Wunden bluten /
Darauß auch das Geißlen schätzt.
Keine Geißlen wir gefunden:
Sie seind all zu Stücker klein.
Besser nicht dieselbe kundten
Allhier abgebildet seyn.

20. *Ad Christum in Cruce Felle & Aceto potatum.*

IN Cruce suspensus, quàm magnam, Christe, Salutem
Ore bibis! Mundi totius illa fuit.

21. *Testamentum Christi in Cruce.*

MIlitibus Vestes: das Cœlum, Christe, Latroni.
Discipulum Matri, das Animamque Patri.
O Testamentum cunctis optabile Christi!
Quod ditat Cœlum, ditat & omne Solum.

22. *De Bono Latrone.*

L*Atroni* Scriptura *Bono* non Nomina ponit.
Nomen ei *Bonus* est: nam Bonus Unus erat.

23 *De Eodem.*

NOn fuit in Mundo Latro Furque rapacior illo:
Qui Cœlum tantâ Dexteritate rapit.

24 *MARIA.* Anagramma, *Amari.* Gall.
MARIE, Aimer.

CUr Te non, Domini Sanctissima Mater, amemus:
Quando Tuum nobis Nomen AMARE sonat?

25. *Sodalis amantis Suspiria ad MARIAM.*

ET Nemora & Colles, hâc nuper Voce Sodalis
Implebat, Dominæ tactus Amore suæ.
Si sit Amare malum, si sit Redamare periclum:
Heu moriar! Vitæ sit modò Finis, Amor.

26. *Abrahamus factus ex Parente Lictor.*

VIncula Naturæ enodat, vel frangit Abramus:
Dum Nodis Natum colligat ipse suum.

27. *De Josepho Patriarchâ.*

ILlustris dici Joseph Patriarcha meretur:
Cûi dedit imperium Lunaque, Solque suum.

28. Saulus. *Anagramma:* Salvus.

TAndem, *Saule*, Tuam muta cum Nomine Vitam;
Ut *Salvus* fias, qui anteà *Saulus* eras.

29. *De SS. Petri & Pauli Martyrio.*

LAc salit hinc Collo: fluit inde è Vulnere Sanguis:
Hic Matrem se se præstat, & ille Patrem.

30. *De Ijsdem.*

QUos copulavit Amor Terris, disjungere frustra
Mors tentat: Cœlo nam simul ire dabit.

31. *Aliud*

31. *Aliud de D. Pauli Martyrio.*

LAc fluit è Pauli Cervice: Quid æquius? Illo
Filiolos Christo, quos generavit, alet.

Idem Germanicè.

Auß Pauli Haupt fließt Milch satt/
Als er durchs Schwert thut sterben.
Kinder/ die er gezeuget hat/
Zur Speiß dasselbig erben.

30 *Ad D. Petrum.*

SI Petra in Cœlo es, PETRE, sis Magnetica Nobis:
Ut nostra ad Cœlos Ferrea Corda trahas.

33. *In Ejusdem Lacrymas.*

UNda Genas sulcat; Quid mirum? Deflua Petram
Gutta lavando cavat: Gutta cavando lavat.

34. *In Lapsum Ejusdem.*

HEsterni Errores, hodierni sæpè Magistri:
Casus ad Ima, PETRO fecit ad Alta Gradum.

35. *De D. Paulo.*

TRuncâsti Christi Populum: Truncabere, PAULE.
Qui ferus Ense ferit, cæsus & Ense cadit.

36 *De Eodem.*

SI quæris Paulum, pete Sidera; Terrea liquit:
Qui fuit affinis Nomine, Reque Polo.

37. *Ad S. Agatham Mammas Tortori præbentem.*

CArnifici Mammas, AGATHA, Orbis Gloria, præbe:
Non Mammis Virgo, nescia Prolis, eget.

38. De

38. *De Gradibus, sub quibus B. Alexius delituit.*

QUàm brevis ad celsum Via nos perducit Olympum!
En paucis Gradibus Sidera Alexis adit.

39. *De S. F. Xaverio in Calce vivâ illæso.*

UNde putas tanta est vivæ reverentia Calci?
Non uret Calx, quod cœlicus ussit Amor.

40. *Ad Defunctos.*

FElices Animæ, quarum Fortuna peracta est
Jam sua: Sed nobis heu! peragenda manet,

41. Hostia Sacra. *Anagramma:* Ah Cor satias.

DIvinus Cibus es, Cœlo demissus ab alto:
Ah! Tu *Cor satias*, Hostia Sacra, meum,

42. *De B. Dydimo Oculis orbato.*
(Ex Petro de Nat. in Martyrol.)

SI desunt Oculi, quos Musca Lacertaque gestant:
Non desunt Oculi, quos Seraphinus habet.

43. *De S. Ursula.*

URSA Minor, Majorque Jubar jam condite vestrum;
URSULA nam Navem diriget Una meam.


44. JESUS SALVATOR.

SI foret haud Esus Pomi, non esset JESUS;
SERVATOR *Mali* sustulit omne Malum.

45. *Cur Poëta tam pauca Epigrammata Sacra habeat.*

CUr de Sacratis tam pauca Epigrammata scribo?
SACRA Admirari, non Trutinare licet.

FINIS LIBRI PRIMI.



CAROLI DESIDERII ROYERI
De Nommçeio,
SELECTORUM EPIGRAMMATUM
LIBER II.
MORALIA
COMPLECTENS.

---

1. *A puero serviendum Deo.*

AUtumnum, aut Hyemem, non Florem, Munus ava-
Nolle Deo Vitæ sacrificare suæ. (rum est:

2. *De Purâ Intentione.*

AD LINUM.

SI quid agas: Rectæ ducenda est Linea Mentis,
Inter bina Dei Puncta Tuique, *Line.*
Unum, quem præfers Oculum, Vigilantior Argo,
Vanum ad Respectum claude, aperique Deo.
Si Tua Circulus est, mortalis Vita, rotundus:
Solus sit Centrum, & Linea Sola Deus.

3. *Fides & Charitas totum volunt.*

TOta Fides, vel nulla Fides sua Lumina spargit:
Namque Fides nulla est, Dimidiata Fides.
Totus Amor, vel nullus Amor sua Spicula torquet:
Nullus namque Amor est, Dimidiatus Amor.

4. *In*

4. *In illa Apostoli Verba:*

Si Charitatem non habuero, nihil sum.

1. Cor. 13.

NULLA nihil præstat: Pretium procedit ab Uno;
Nullis adde *Unum*, millia multa dabit.
Vita & Compages Mundi, Pretiumque perenne est
Ingeniosus Amor; Cuncta beare potest.
Clavigerum Cordis dixit Rhodopëjus Orpheûs:
Pandit, ut introeat Corda: vel inde migret.
Non ibi Amans, ubi Amans: ubi non est, est ibi totus;
Non agit, in quo animat: sed movet id, quod amat.
Tædas non frustra, & præsagas Funeris almi
Lampadas accendit, jam moriturus Amor.
Namque Adamare, Mori est jucundo Funere Amori;
Vitam cum Lucro, & Fœnore finit Amans.
Exit Amans à se, moriturque libenter Amato;
Nobilis ille Cinis Solus Amantis erit.

5. *De Eleemosynâ.*

PErfide Mortalis! Pretio Te Sanguinis emit
Ipse Deus; Vili non emis Ære Deum?

6. *Hæc Terra Punctum est.*

PUnctum est omne, quod hic gremio complectitur Orbis:
Et tamen hoc Ferro dividere ambit Homo?

7. *Ascensio omnis inter Homines Tumultuosa est.*

E Cœlo tacitus Matris descendis in Alvum;
Ascendis? Nunquam, CHRISTE, Tumultus abest.
Naviculam ascendis? Fervet Mare fluctibus atris;
Motus Aquas validas irrequietus agit.
Ascendis Solymis? Urbs & Jessæa movetur;
Ex hoc Ascensu Plebs Recutita fremit.

Aſcendis ferale Crucis, (nunc Nobile) Lignum?
Concutitur Tellus: Marmora ſciſſa crepant.
Tu Cœlum repetis Victor? Linguasque flagrantes
In Terras mittis cum vehemente Sono.
Sic eſt. Aſcenſus non eſt hec Orbe quietus;
Eſt conſtans Motus; fixa nec ulla Quies.

Idem Gallicè.

RIen n'eſt Stable icy bas: tout change en un moment,
Et jamais le Repos ne fut que Mouvement.

8. *Punitio Divina eò gravior eſt, quò lentior.*

AD PLANCUM.

LEntè magna molit Superûm Mola, PLANCE; Minutim
Sed molit illa nimis, quæ Mola lenta molit.

9. *Hypocriſis vitanda.*

REligio Meretrix non eſt, Pigmenta recuſat.
Nè Cor Styx teneat, dum tenet Ora Deus.

10. *Quanta Mala, vetita Malus attulerit.*

AD POLYMETHUM.

AH quàm de minimo, POLYMETHE, perivimus! Una
Malus in hoc tantum protulit Orbe Malum.

11. *Terra poſt Diluvium emendata non fuit.*

AD FULVIUM.

PEſſima dediſcas reprehendere Tempora, FULVI;
Nam ſibi poſt primas conſtitit Orbis Aquas.
Ter ſi mergatur, ter fœdior ille redibit
Diluvio; innatum non lavat Unda malum.
Donec erunt Homines, durabunt Crimina: Finis
Noxarum, ipſius Finis & Orbis erit.

12. *In*

12. *In Condemnationem Thamaris.* Gen. 38.

OBſcuri Sceleris THAMAR convicta Meretrix,
Pignoribus Soceri contemerata ſui.
Accuſatore Utero, Socero ipſo Judice, mœſtus
Promeritæ ſtruitur, Plebe volente, Rogus.
Impura ut Veneris Vulcanus Crimina plectat,
Expiet & turpes debita Flamma Faces.

13. *In Vitulum aureum, quem formavit Aaron.* Exodi 32.

CUr Auro conflas Idolum, Maxime Aaron:
Si non vis illud divite Thure coli?
An neſcis, informe coli à tot Gentibus Aurum?
Et Nummos Homini Numinis eſſe loco?

14. *In immodicam Libidinem Salomonis.* 3. Reg. 11.

QUas vidit, voluit Salomon, habuitque Puellas;
Tantus torrebat viſcera Regis, Amor.
Obſtupuit Natura, quod hic ſatis omnibus eſſet:
Omnes non Uni ſufficerentque Viro.

15. *Mala omnia æquo Animo ferenda.*

PRoſperitas, ſit fida Comes, Vitæque coæva:
Eſt ſemper Sanctis illa timenda Viris.
Exundabit ijs Ubertas magna Bonorum,
Si mala perpeſſos Mors inopina rapit.
Surſum Adverſa vehunt: elidunt Proſpera; Felix
Eſt Homo, qui *Gradibus* ſcandit ad Aſtra *Crucis.*

16. *Aliud.*

ILla Corona placet, quando diſcrimine amœno
Diſtinguit rutilas aſpera Spina Roſas.

Qui Patiens, Sapiens; Virtus collisa patescit:
Fulgurat ut Nubes exagitata Noto.

17. *Aliud, ad Sixtum.*

QUid quereris, Te, SIXTE, pati? Patientia nonne
Significat nobis, *Entia* quæque *Pati*?

18. *Ad Eundem, à quopiam offensum.*

VErbum est Deponens, *Patior*; Depone ferocem,
Sixte, Animum; Fortis mollior Ira Viri est.

19. *Quid sit Vita Hominis?*

AD DINDYMUM.

ESt latè extensum mortalis Vita *Lycæum*:
Sed *Peripateticus*, *Dindyme*, solus Homo est.

20. *Quid sit Mundus?*

QUid Mundus hic est? Vanitatis est Schola:
Ubi quisque fallit, fallitur quisque; est patens
Spelunca Furum: Squallida Ferarum Domus.
Est Hospitale grande Febricitantium:
In quo Universi more delirant suo.

21. *Aliud.*

HIc Mundus Magni fallax est Scena Theatri;
Spectator Deus est: Histrio, solus Homo.

22. *Mortis Memoria.*

Ad CINNAMUM *manibus pedibusque captum.*

PEr partes moreris: Mors dira Pedesque Manusque
Jam tenet; Heu! totus, CINNAME, disce mori.

23. *In Superbum.*

O Homo, Stemma tuum vano molimine jactas;
Indigetaris *Homo*, quod Tibi Mater *Humus*.

24. *In Hominum Curiositatem.*

QUanta Libido furit Mortalibus insita cunctis!
Obvia prætereunt, Abdita scire volunt.

25. *Luxuria & Gula sunt Collegæ.*

LUxuria & Gula connexæ sunt fœdere eodem:
Si benè PASTA Caro, non benè CASTA Caro.

26. *In illa Prophetæ*: Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, &c. *Psal. 119. v. 1.*

AD THEODORUM.

LEnto tarda gradu, viscoso tramite oberrans
Testudo, æternùm non cruciata silet,
Attamen urgebunt damnosa Silentia Flammæ,
Mutaque Testudo fiet ab Igne Loquax.
Sic Domini immemor es Felix: Si Fata flagellent,
Clamas ad Dominum tunc, THEODORE, tuum.

27. *Dispar Fœnus Christi, & Mundi.*

DAt Centum pro Uno Christus: Mundusq; dat Unum
Pro Centum; Dispar est Utriusque Lucrum.

28. *Homo proprijs Commodis, & Honore plerumque ducitur.*

ESt Microcosmus Homo, sed Comodum Honorq; Poli (sunt;
Non alijs circum-volvitur ille Polis.

29. *Multum Verborum, Parum Mentis.*

SÆpe ubi multorum Verborum Flumen abundat,
Mentis ibi rectæ Gutta nec una latet.

30. *Qui citò dat, bis dat.*

QVi citò dat, bis dat: Similisque est Gratia Flori;
Flos novus arridet: Gratia grata recens.

31. *Aliud.*

31. *Aliud.*

AD FULVIUM.

QUæ conferre cupis, citò confer Munera, FULVI;
Gratia nam rarò *Seria, Sera* nimis.

32. *Res in Exitu æstimantur.*

AD QUINTUM.

CUm Res ex Oculis abeunt, tunc, QUINTE, videntur.
Incœpisse parum est: Exitus Acta probat.

33. *Iræ Etymologia.*

IRA, ut Grammatici scribunt, procedit ab IRE:
Nempe quod à seipso Vir furibundus eat.

34. *Vir Constans, semper Idem.*

NOn Fortuna potest Animum turbare serenum:
Clarior hic inter Nubila cœca micat.
Hæc si blanditur, non tangunt Basia; Virtus
Palpari non vult: Pupula viva Viri est.

35. *Aliud.*

FOrtunam reverenter habe; Si Prospera, tolli:
Sed mergi, si sit diffugitura, cave.

36. *Injuriæ citò remittendæ.*

AD CRETICUM.

NObile vincendi Genus, Hosti parcere; Si vis
Vincere, non differ, CRETICE: Parce citò.

37. *In Hominem Insincerum.*

INsinceram Animam, velut haud sanabile Corpus,
Quò magis hanc nutris, lædis eamque magis.

38. *Risores*

38. *Risores Ridendi.*

RIde Risores; Illum nam pessimus Ignis
Fulminat Invidiæ, quem bona Fama *Tonat*.

39. *Hostis fortior non lædendus.*

AD GALBAM.

QUid furis, & passim flammantia Tela minaris?
Non morde, qui Te, GALBA, vorare potest.

40. *Omnis Terra Viro forti Patria est.*

AD PAPHIUM.

OMne, PAPHI, Cœlum festini est Patria Solis;
Omnis Terra *Viri* Patria *Fortis* erit.

41. *In Vivizanum Pictorem, ex aspectu Mortis à se depictæ mortuum.*

VIvizanus erat Pictor, celeberrimus Orbe,
Peniculi mirâ dexteritate valens.
Artis ut is Specimen daret haud imitabile: Mortis
Cœpit Apellæâ pingere Tela manu.
Ossea Compages tristi depicta colore
Prodijt: ut se se vinceret Artis Opus.
Aspicit attonitus Pictor: Visâque Tabellâ
Concidit; & trepidum Mors inopina rapit.
Si tantum *Picta* potuerunt Spicula Mortis:
Ah! Quid non *Viva* vera Sagitta potest?
Verùm quid dico? Mors hæc, non Mortua Imago:
Sed Viva haud dubiè Mortis Imago fuit.

42 *Verborum Jacula non timenda.*

AD FABULLUM.

VErba volant, Lapides non sunt, nec Tela, FABULLE;
Nec vim lædendi, nî retrahantur, habent.

43. Ob

43. *Obscœnorum Librorum Lectio fugienda.*

AD XANTHIPPUM.

OBscœnos nunquam volves, *Xanthippe*, Poëtas;
Virus propinant Aurea Vasa Tibi.
Dulcedo Versûs, ceu Subdola Pocula Circes,
Delinitum Hominem Crimen ad omne rapit.
Corrumpunt Animos Corrupta Volumina; Libris
Tu Castigatis utere, Castus eris.

44. *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.*

AD ALINDAM.

EXpungis Versum, qui vel Pede claudicat uno:
Monstra inter Musas non tolerata, docens.
Sic si Mandatum fueris transgressa vel unum:
Expunget Nomen Numen, ALINDA, Tuum.

45. *Oratio Patientiæ juncta, Deo gratissima.*

NOn Vitro, Saxové Chelys compacta sonabit;
Lignea sit, Chordas si resonare cupis.
Ut Vitrum fragilis, sis durus, ut arida Rupes:
Non edent Sonitum, quas legis ore, Preces.
At Chelys apta, CRUCIS solum Venerabile Lignum est;
Tange, & erit Superis Musica grata Precum.

46. *Divinus Amor est Prædo Maximus.*

AD ENNIUM.

ESt Divinus Amor Prædonum Maximus, ENNI:
Omnia nam rapuit, quæ tenet ipse Deus.

47. *Terra.* Anagramma: *Errat.*

AD VINCENTIUM.

ERrans, VINCENTI, cauto pede Terra terenda est;
Hîc Erràsse semel, Maximus Error erit.

48. Vita

48. *Vita nostra, Via Crucis.*

AD DAMIANUM.

IN Vitâ fortassè Viam, DAMIANE, requiris,
Stratam Liliolis, purpureisque Rosis?
Falleris. Haud Flore, at Spinis Via consita Vitæ est;
Cum *Cruce* T. Vitam nam Via longa facit.

49. *De Brevitate Vitæ.*

QUando furit Pontus, pluvioso concitus Austro:
Horrendo tumidas murmure volvit Aquas.
Unda Undis premitur, Fluctus Fluctumque fatigat:
Et rapitur Vortex Vortice: Cuncta fremunt.
Sic Mensis Mensem, sic Annus trudit & Annum:
Vitaque sic frœno non remorante fluit.

50. *Descriptio Vitæ Humanæ.*

VIta quid est Hominis: Nisi Spes incerta, Metusque:
Inter quæ Dubium Vitaque Morsque tenet?

51. *Peccator plus timeat Deum Pœnas differentem, quàm infligentem.*

NOn cunctaturi si Judicis Ira timenda est:
Cunctantis tamen est plus metuenda Tibi.
Sic Nubis gravidæ Partus damnosior extat;
Denique in incautos ignea Tela vibrat.

52. *In Ebrietatem Noëmi.*

QUi siccus Pelagi medijs emerserat Undis,
Naufragus in Vitro denique NOE perit.

53. *Virtus inter Adversa fit clarior.*

AD GENEBRARDUM.

NUbibus in fœdis elucet clarior Iris;
Virtus non *fragrat*, nî, GENEBRARDE, *flagrat*.

54. *Vinum Lac Veneris.*

VInum, *Lac* posthac *Seniorum* dicere noli:
Lac Veneris potiùs dicito dulce Merum.

55. *Fortunæ Inconstantia.*

FRumentum ut pretio non semper venditur uno:
Sic Homines variâ Sors agit una Rotâ.

56. *Commercia cum Mulieribus periculosa.*

FOemina quos *lactat*, crudeli Vulnere *mactat*:
Est multis *Virus* Fœmina compta *Viris*.

57. *Voluptatum Illecebræ fugiendæ.*

SIrenum Illecebras fugito, Cantusque suaves:
Dulci Voce *vocant*: sed cave, Dente *vorant*.

58. *Crux, ut à Deo imponitur, ferenda.*

AD COSTAM.

SI Tibi, COSTA, Cruces portandas solus adaptas:
Aptas vix unquam consabricabis eas.

59. *Solâ Patientiâ Cælum obtinetur.*

AD PRISCUM.

SI qua Gutta tuo de Corpore Sanguinis exit:
Æternus tandem, PRISCE, Pyropus erit.
Pallentem Faciem Lacrymarum Rivus inundat?
Lacryma cælestis Gemma fit, atque Rosa.
Post vilem veniunt, mendicantemque Lacernam
Sidoniæ Pallæ, Purpureæque Togæ.
Dira Catena quid est? Quid & aspera Cingula Setis?
Sunt Torques Auro, Coralioque graves.
Cœlo omnes promptâ Tu Mente locato Labores:
Felix Spinosi, PRISCE, Colonus Agri.

Sic

Sic post non multas miraberis hujus Aristas
Labentis Vitæ, Cœlica Regna videns.

60. *Alchymia Spiritualis.*

AD PERULLUM.

PArs Divina Tui, PERULLE, vivat;
Mentis Particula hæc stet æviterna.
Quod Pulvis, Vitreum quod est, teratur.
Sit Pulvis Boreæ, Vitrumque Terræ.
Cœlo præmiferos Sacra Labores;
Perfer Martyrium, Rotas, Secures.
Sic ex Pulvere Vitreo Planetas
Auro conficies nitentiores:
Æternique Lucri *Alchymista* fies.

61. *Facta, non Anni, Vitam Hominis contexunt.*

AD CANDIDUM.

NOn Annis Homines, sed Factis, CANDIDE, vivunt:
Annos, non Menses: Sed Benefacta struunt.

62. *Vera Virtus insuperabilis est.*

AD NICOSTRATUM.

IMmersabilis est Virtus, *Nicostrate*, vera:
In P*onto* P*ortum* comperit illa suum.

63. *Voluptas fugienda.*

PElle Voluptates; est Vipera sæva Voluptas;
Damnoso partu dum *parit:* illa *perit.*

64. *De Contemptu Divitiarum.*

FRustrà quæris Opes, Dextrâ servasque tenaci;
Quod capit haud Christus, Fiscus id omne rapit.

65. *In Propudiosam Hominum Simulationem.*

IN Terrâ rara est Concordia Cordis & Oris:
Corde sedet Dæmon, cùm sedet Ore Deus.

66. *Vis Eloquentiæ.*

MOrte potentior est facundæ Gratia Linguæ;
Mors Animum nequijt vincere: Suada potest.

67. *Quid in Beneficijs conferendis observandum.*

NE Benefacta loces Vitijs: Sic namque locata,
Non Benefacta Patres, sed Malefacta vocant.

68. *Aliud.*

SI Benefacta Malis confers, mox illa peribunt;
Multa Bonis confers Munera? Multa capis.

69. *Casus nostri Trophæa sunt.*

AD BERTHOLDUM.

HIc frustra Festos agimus, *Bertholde*, Triumphos:
Et jactat Palmas Dextera vana suas.
Nam nostri Casus existunt vera Trophæa:
Victori Campus maximus, Urna brevis.

70. *De Vitâ & Morte Hominis.*

AD ENNIUM.

SEmper agonizat, semper moriturque caduca
Vita Hominis: Semel ut vivere possit Homo.
Vita Hominis Mors est: Mors Vita optabilis, ENNI;
Vita Mali, Mors est: Mors bona, Vita Boni.

71. *Virtus Hominem beat.*

SIs Probus, es Felix: Nubes pluviosa coibit,
Cudenturque tuo sub Pede Tela Jovis.

Mur-

Murmuret & Tonitru: Concentus edet amœnos:
Altiùs & se non scandere posse, canet.
Peccator semper miser est; Sors optima Justi;
Felicem Virtus intemerata facit.

72. *Una tantùm in hoc Mundo Tempestas est.*

EST Anno Quadruplex Tempestas: Una sed orbi;
In quâ nimirum sunt Bona mixta Malis.

73. *De Contemptu Mundi.*

SI pedibus tritus nobis vilescat hic Orbis:
Unicus ad Cœlum subvéhet inde Gradus.

74. *In Arcam Noëmi.*

UNdarum Obsidium ut Noë eluctetur: is Arcam
Fabricat; *Arca* locum prævalidæ *Arcis* habet.

75. *In illa Apostoli Verba*: Epistola enim nostra vos estis. *2. Cor. 3.*

COrde volunt potiùs scribi, quàm Codice Amantes:
Affectus Chartâ fortiùs in Cor agit.
Rasa Tabella Cor est, & fida Papyrus Amanti;
Sed Sanguis Color est, Pennaque Sanctus Amor.

76. *Regula Conversationis.*

CUm Conversaris, *Majori* cede: *Minori*
Persuade: dictis annuitoque *Paris*.

77. *Alia Regula.*

CUm Conversaris, plura audi, pauca loquaris;
Hinc Aures geminæ, Lingua sed una Tibi.

78. *Virtus inter Adversa fortior.*

NUnquam succumbit Damnis, & Vulnere nullo
Terretur Virtus insuperata Viri.

Quò plus deprimitur, quò plus Fortunáque sævit:
Hoc erectior est, & solidata magis.

79. *Fidus Fidum experitur.*

QUi sibi vult Fidum, sit Fidus; Dicere namque
Se falsum, fallens, quâ ratione potest?

80. *Mors Viri fortis.*

TErra Viro forti non sit, quâ Vivere possit:
Præclare tamen hûic quâ *Moriatur* erit.

81. *Ars Artium, bene mori.*

AD PLANCUM.

ARtibus incumbis varijs: Ars Vivere magna est;
Ast Artes inter maxima, P*lance*, Mori est.

82. *De Morte.*

QUamvis prima Tibi jam Purpura vernet in Ore;
Vidi ego tam pulchram sæpè sub Ungue Rosam.
Ut Rosa manè viget, tamen & mox vespere languet:
Sic modò qui fuimus, cras levis Umbra sumus.

Idem Germanice.

SIh an die Schöne Rosenblum/
Wie sie sich früh befärbet;
Komt die Mittag-und Abends-Sonn?
All Röthe bald verderbet.
Also ergehts der Schönheit dein:
Heut wird sie mir gefallen;
Morgen ist hin all Lust und Freud:
Die Ros ist abgefallen.

83. *Vita longa optanda non est.*

Ad REGEM *ægrotantem.*

SOlvendum semel est Tibi Vitæ labile Pensum:
Illud si differs, REX, Moriere diu.

84. *Amare*

84. *Amare, Mare est.*

AD AMICUM.

NUper in umbrosis cantabat Delia Sylvis,
Quàm res sit Sponsum dulcis amare suum.
Quàm res dulcis *Amor*, (clamat) quàm dulcis, *Amare*:
Ingeminat multis, quàm sit Amare bonum.
Intereà molles repetit Dea garrula Voces:
Insanamque docet: Quod sit *Amare*, *Mare*.
Sed Mare naufragijs, multisque infame periclis:
E quo vix aliquis Salvus, AMICE, redit.

85. *Viri Uxores suas diligant.*

NOn Capite Adami Mulier primæva creata est:
Namque exambiret sic Caput esse Viri.
Non Tergo nata est: Nè Posterioribus ortam
Partibus, hanc Famulam Vir putet esse suam.
Nec Pedibus facta est; Nam conculcare Sodalem,
Crimen inauditum, grande nefasque foret.
Ex Latere educta est: Socia ut sit fida Mariti;
Non ita Corde procul: diligat ut Vir eam.

84. *Contra Vim Mortis non est Medicamen.*

DIspellunt Medici varios Medicamine Morbos:
Qui possit Mortem pellere, Nullus erit.

87. *In illud:* Vulnerâsti Cor meum in Uno Crine Colli Tui.

SI potuit Sponsi Cor figere Sponsa Capillo:
Molle nimis Cor erat, vel Coma dura nimis.

88. *Nimius Parentum in Liberos Amor nocivus.*

D*ilexi*, ingeminat, (Carmen fatale Canenti:)
Indocilis Nati captus Amore Parens.

Natus mox altâ reſpondet Voce, P*lacebo*.
  Quóque libet, frœno non remorante, ruit.
Clauſula quæ Cantûs? *Requiem* cantatur, & *Eheu*!
  Mœſtitiâ vitam ſurripiente Patri.

89. *Clare oportet loqui.*
AD MAURUM.

MAURE, loqui clarè, Statuæ inſtar Memnonis, opta:
  Cûi Solis Radius Lucida Lingua fuit.

90. *De Eo, qui amat Sermones hilares.*

AUribus excipiens avidis Jucunda loquentem:
  Aut Citharam, aut certè Tympanum inane colit.

91. *Divitiæ Vitium.*

SÆpè ſolent *Cenſus* Hominum pervertere *Senſus*;
  Pleni *Divitijs* non ſinè ſunt *Vitijs*.

92. *Præteritis Damnis Futura proſperantur.*
AD CATULLUM.

ANſâ etiam minimâ, vel maxima Damna reguntur;
  Sunt Fornax Lucri Damna, *Catulle*, novi.

93. *Cupiditas ſatiari nequit.*

INgentes Animos inhibet non magna Cupido;
  Annona hûic nulla eſt, Copia nulla ſatis.
Illa ſuis nunquam Votis quadrare videtur:
  Nec Spe contenta eſt cæca Cupido ſuâ.

94. *Damna Iracundiæ.*

IRA Malum grande eſt, Alijsque Sibique nocivum;
  Semper cum Damno nam furit Illa ſuo.
Cum Stimulo ſic ponit Apis contraria Vitam;
  Ira ſibi Mors eſt: Dum *ferit*, ipſa *perit*.

Ira brevis Furor est: tamen hanc nè crede Minorem;
Supplet enim minimas Impetus ipse Moras.
Innatus Dæmon Hominis vehementior Ira est:
Hos *Arrepticios* * quos rapit, ipsa facit.

* *Tertiam corripio, juxta Priscianum*, Lib. 4.

95. *Nosce Teipsum.*

QUàm miser est, Vitam qui Cunctis Cognitus egit;
Et Soli Ignotum Mors Sibi dira rapit.

96. *Maritus Pauper, sed Strenuus: Diviti, sed Ignavo anteferendus.*

EXpers si Vitij Sponsus, licet ille sit Auri,
Auratis Sponsis anteferendus erit.
Strenuus, haud ægrè Nummos, Aurumque parabit;
Utilis Ignavo sæpè nec Albus * erit.

* Albus *Moneta Germ. est, Valens* 16. *Denar. Gall.*

97. *Quid sit Blandiloquium fictum.*

MElleus est Laqueus, Sermo non Corde profectus:
Nam blandè amplectens ille Virum jugulat.

98. *Miserum esse; male vivere.*

AD SERVIUM.

VIvere non miserum est: Miserum est, malè vivere, SERVI;
Vivere sed malè: non Vivere, Spontè Mori est.

99. *Fortunæ Inconstantia.*

QUisque suæ Faber est Fortunæ; At Vitrea cum sit,
Dum rutilat, subitò frangitur, atque perit.

100. *Quod Fortuna dat, nostrum non est.*

AD POLYDORUM.

QUod tibi non Fortuna dedit, non auferet; At quod
Illa tuum fecit, non, POLYDORE, tuum est.

101. *Nemo suâ Sorte contentus.*

AD EUNDEM.

DAt multis Fortuna *Nimis*; Tam prodiga cum sit,
Attamen hæc nulli dat, POLYDORE, *Satis.*

102. *Muta sæpe loquuntur.*

FActa gerunt Linguas, atque ipsa Silentia Voces:
Sæpèque Rhetoricâ fortiùs in Cor agunt.

103. *Species Mulieris admodùm periculosa intuentibus.*

AD SABINUM.

FOrma Puellarum Saga est metuenda, SABINE;
Hæc Hominem in Scyllam vertere sæpè solet.

104. *Juvenile Robur Donum Caducum est.*

Jud. 16.

CRinibus innexum Sampsonis Robur inhæret;
At Forfex Vires Una Pilosque metit.
Tam tenui Filo pendent Fortissima quæque:
Tamque ruunt subitò, quæ valuêre priùs.

105. *Formæ Vis.*

Exodi 2.

JActurâ Jactus caruit, dum Flumine Moses
Mergitur. Haud mergi Forma decora potest.

106. *Bonum Exemplum Optimus Orator.*

SUnt Oratores Speciosa Exempla diserti;
Fortiùs hæc Verbis Corda movere solent.

107. *Ars sancta ditescendi.*

AD POLYPHEMUM.

DIvitias sacrâ Arte Bonas nunc effice Dives:
Te facient aliàs hæ, POLYPHEME, Malum.

108. *Divitiarum Honorumque Vanitas.*

NOn ſanat Capitis fulvum Diadema Dolorem:
Anulus haud χέραγραν debilitare ſolet.
Divitiæ *Vitium*, ſed *Onus* ſunt Regij Honores;
Quæ faciunt Cor *inops*, non vocitabis *Opes*.

109. *De Diluvio.*

CErtè ſorduerat valdè turpiſſima Tellus:
Diluvij quam vix Unda lavare poteſt.

110. *Mens ſibi diſſona.*

HArmoniâ nullâ, Mens, quæ ſibi diſſona perſtat,
Curatur; Medicam non patietur Opem.

111. *Virtutis Character.*

OPtimus ille Typus, pulcherrimus atque Character,
Virtus Peniculo quem notat alma ſuo.

112. *Miſerum eſt, ſe ſe neſcire.*

AD VITELLIUM.

QUàm miſerum eſt, *Miſerum* ſe ſe neſcire, VITELLI.
Felix ille, cui Mens oculata ſedet.

113. *In Curioſitatem Uxoris Lothi.*

Gen. 19. v. 26.

DUm Patriam ſpectat, Lothi ſe perdidit Uxor:
Reſpexiſſe retrò, Diſperiiſſe fuit.

114. *Adamus fit Agricola.*

Gen. 3.

EX Rege Agricola eſt profugâ cum Conjuge *Adamus*;
Non colit ipſe Deum? Triſte Solumque colet.

115. *Malis*

115. *Malis nusquam bene.*

AD CLEONEIUM.

NUlla, CLEONEI, Sceleratis tuta Latebra est;
Quò-se-cunque ferant, est malè ubique Malis.

116. *In Cainum profugum.*

Gen. 4.

SEmper ibi ac alibi est, idem CAIN, aliusque;
Mendax mendacem se fugit, ac sequitur.
Territus, & se se terrens, metuenda quod ipse
Non timuit, tandem non metuenda timet.

117. *Homo ad Cœlestia natus.*

AD CÆCILIANUM.

SIt licet ex *Cœno*, *Cœlo* tamen est Homo natus.
Et *Nasci*, *Nosci* est, CÆCILIANE, Deum.

118. *Profusio vitanda.*

NE temerè, & citrà delectum Munera Sparge;
Gratia non Scortum, Virgo sed esse cupit.

119. *Vita Hominis Somnium est.*

QUidquid agit mortalis Homo, sunt Somnia pura;
Somniat ut dormit, somniat ut vigilat.
Somnia Sopiti, vaga sunt Phantasmata Mentis:
Somnia sed Vigilis, Spes docet esse Plato.

120. *De Vanitate Mundi.*

MAgnus Alexander, *Vivus*, Rex Maximus Orbis:
Mortuus, haud Terram, quâ tumuletur, habet. *
Gloria sit transit: pereunt sic Nomina Regum;
Nec Magni quidquam totus hic Orbis habet.

*. *Apud Curt. & Plut.*

121. De-

121. *Descriptio veri Amici.*

ZEno quæſitus, quis Verus Amicus habendus?
ALTER EGO, dixit, *Verus Amicus erit.*

122. *Quid ad Salutem opus ſit.*

FIdus Amicus erit Tibi, vel duriſſimus Hoſtis;
Ille, ut Te moneat: Te ſed hic, ut moveat.

123. *Ars faciendi Amicos.*

UTile ſi præſtas, Jucundum ſique loquaris:
Quisque Tibi magnus ſemper Amicus erit.

124. *Metamorphoſis Amoris.*

OMnis perditè Amans, alieno in Corpore Vivit:
(Sic transformat Amor:) Mortuus inque ſuo eſt.

125. *Quis ſit Verus Amor.*

NOn eſt Verus Amor, quem non parit inclyta Virtus;
Vir Malus, haud Hominis dignus Amore Boni eſt.

126. *Omnis Forma periculis eſt obnoxia.*
Gen. 20.

ABrâmo Uxoris Species præclàra periclo eſt;
Peſſima ſic ſemper Sarcina Forma fuit.

127. *In Mandibulam Sampſonis.*
Judicum 15.

SAmpſon Mandibulâ Cataphractos ſternit Aſelli;
Nulla Virilis habet Vilia Tela Manus.

128. *In Turrim Babylonicam.*
Gen. 11.

EN BABYLON Scopulis compacta movetur ab imo.
Non Solidum, at Stolidum hoc indigetetur Opus.

Nuper

Nuper erat Fulcrum famosi Nominis; At nunc
  Nomen vanum, imò Nominis Umbra manet.
Uno hoc Prodigio Turris miranda videtur:
  Opprobrium Turri quando cadente stetit.

129. *In Meretricem formòsam.*

AD CYPARISSUM.

IN Specie Virtus Meretricis promicat omnis:
  In Virtute Decor, Formaque rara nitet.
Est Species Scorti Speciosum & Sensile Damnum.
  Formosam *Faciem*, dic, CYPARISSE, *Facem*.

130. *In Vanitatem Ambitiosorum.*

INflet Naturam Ambitio malesana: Staturæ,
  Postquàm detumuit, redditur illa suæ.
Guttula sic Orbem Bullâ mentita superbum:
  Guttula Aquæ, Bullâ dispereunte, manet.

131. *In quo vera Amicitia consistat.*

NEmo diligitur summè, nî optatur Amicus,
  Qui solus rectè novit Amare, DEUS.

132. *Regula Amicorum.*

AD TITUM.

MEnsarum multi semper numerantur Amici;
  Tolle Dapes, Quadra sit frigida: Nullus erit.
Nomen Amici, & Res, rarò unâ Sede morantur;
  Rem Nemo, Quivis Nomen habere cupit.
At Tu, quem novi Re & Nomine semper Amicum:
  Regulam Amicorum, quam dat Amicus, habe.
Nè multùm properes, quoties prandebit Amicus;
  Sed si jejunet: Tunc, TITE, Curre citò.

133. *In Cædem Abelis.*
Gen. 4.

COmpresso jugulo Fratris, mutum esse putabat
Flagitium, Latro pessimus ille, CAIN.
Gutture sed fracto vocalior extat ABELUS.
Extinctus Vivum de Tumuloque citat.
Infandum Facinus nimirum Muta profantur:
Mortuo & Elingvi mille ad id Ora patent.

134. *Ne Virum constantem Calumniæ turbent.*
AD REMUM.

SI sis *Contemptus, Contentus* vivito semper;
Nam *Probus* à *Probro* vix, REME, liber erit.

135. *Mala prævidenda.*
AD ANCUM.

PLurima, quæ veniunt, Oculis si Prospicis Argi:
Aptè sic cunctis *Prospicis*, ANCE, Malis.

136. *Noxa quælibet vitanda.*
AD HANNONEM.

NEc semel offendas: Crimen læthale vel Unum est;
Emollit Sceleri nam Scelus, HANNO, viam.

137. *Perpetuum nihil est.*

TRoja jacet, quondam pinnis ornata superbis;
Romaque nunc Româ quæritur in mediâ;
Perpetuum nihil est: properum rapit omnia Tempus;
Nos nil quàm Funus, Fumus & Umbra sumus.

138. *Senes bis Pueri.*

BIs *Pueros* si dico Senes, quàm dixero rectè;
Vita dedit Pueros: Mors Puerosque rapit.

139. *In Ioram Regem Tyrannum.*
2. Paral. 21.

QUem, Rex dire times, te cerno ſitire Cruorem;
Tunc ſolùm lætus, cùm canis Exequias.
Sed cave: Plorabis mox, non ploratus ab ullo:
Et Mulſum Populi, Lacryma Regis erit.

140. *In illud Pſal. 61. v.* 10 Mendaces Filij Hominum in Stateris.
Ad Caium.

DUm Res non pendis pretio prædivite Cœli:
Mendax tunc, Cai, & falſa Statera tua eſt.

141. *In Garrulos.*

CErtè, qui neſcit ſemper reticenda tacere,
Ille etiam neſcit, non reticenda loqui.

142. *Preces miri efficaces ad Proximi Converſionem.*
Ad Neupatorem Concionatorem.

VIs Peccatores convertere, Neupator? Ora.
Dura ſolent calidæ mollificare Preces.

143. *Virtus Viros facit.*
Ad Adelphum.

NOn Vires fecêre Viros: aſt Unica Virtus;
Hâc ſinè ſunt *Vires Virus*, Adelphe, *Viris.*

144. *De Humilitate.*

AUſpicium ſummum creſcendi, Numine coram
Imminui eſt; Humili certus ad Aſtra Gradus.
Eſt Thaumaturgis Demissio: Mira operatur.
Scire nihil dictans, ipſa Magiſtra Sophûm.

Nec

Nec Tuba, nec Turbæ ſtrepitant: cum ritè vocatos
  Dogmata Diſcipulos edocet iſta ſuos.
Infrà Te pones, Te infrà ſimul omnia pones:
  Atque intrà Nihilum, Te, Tua claude merum.
Id didicêre omnes Sancti: Sua Nomina ſemper
  Qui voluêre tegi, nec voluêre legi.

145. *In Comeſſationes Immodicas.*

Et Tineâ Veſtes pereunt, & Sorice Fruges:
  Sed Sorex, Tinea & peſſima, Menſa frequens.

146. *Quomodò Conciones audiendæ.*

QUando Præco Sacer Dextrâ tibi porrigit *Aptum*,
  Auditor Lævâ nè cape *Dogma* Manu.

147. *Regula benefaciendi.*

QUi dare vult, citò det, non donec poſcat Amicus:
  Nam qui tunc dare vult, ſerò dat ille nimis.

148. *Alia Regula.*

ACcipit is dando, qui Digno Munera confert:
  Plus meruiſſe illud, quàm tribuiſſe fuit.

149. *Via Compendiaria ad Gloriam.*

VItâ eſto talis, qualis cupis ipſe videri:
  Sic brevis ad Famam Trames apertus erit.

150. *De Præſentiâ DEI.*

AUguſtum Mundus Templum eſt, & Numine dignum:
  Vir bonus ut coram Numine ſemper agat.

151. *Regula Viri Prudentis.*

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

NOn Sibi Vir Prudens Res, ſed Se accommodat illis:
  Nec cœcis in eas Motibus ire ſolet.

Abstinet à multis, multas & *Sustinet* ipse:
Sustinet Adversas, Abstinet áque Malis.

152. *Acquirendæ Doctrinæ Modus.*
AD GALEUM.

VIs fieri Rhetor celebris, Doctusque Poëta?
Plus Olei insumas, GAELE, Merique minus.

153. *Præceptores ipsis Parentibus potiores sunt.*
AD THEODORUM.

ESt optabilior, THEODORE, Parente Magister;
Hic facit, ut sis: ut sis Bonus ille facit.

154. *Aurum Virum arguit.*

AUrum Homini est, rutilo Lapis est quod Lydius Auro;
Hic Aurum prodit, prodit id atque Virum.

155. *De Divitijs.*

ANteit Angor Opes, Curæ comitantur adauctas:
Amissas longus consequiturque Dolor.
Felix, qui parvum sulcat Contentus Agellum:
Quique tenet luteam cum probitate Casam.

156. *Quisnam Pauper & Dives.*

PAucis contentus, certè Ditissimus ille est;
Pauper at ille, nihil quem satiare potest.

157. *Vanitas Ambitiosorum.*

MUs etiam minimo vivit contentus in Antro;
Et Villas, Arces, Regnaque quærit Homo.
Eheu! regnandi sed vix satiata Libido est:
Tam Grandem Dominum Fossa vel Una capit.

158. *Quisnam sit Felix.*

COrpore qui Sanus vivit; qui Menteque Doctus:
Is solùm Felix indigetandus erit.

159. *De Eruditione.*

INfortunatis Doctrina est nobile Asylum:
Sed Fortunatis est Speciale Decus.

160. *Aliud.*

DOctrinæ Radix inamœna, ac semper amara est:
Sed dulces Fructus illius esse solent.

161. *Non putabam.*

STultior haud unquam Sermo: *Non esse putabam*;
Nam semper Stolidis ista Loquela fuit.

162. *Quid sit Pulchritudo.*

TEmporis est modici *Species formosa* Tyrannis:
Fraus etiam tacita est, lætificumque Malum.

163. *Quid sit Gloria.*

DIcitur Annorum pulcherrima GLORIA Mater:
Namque Hominis Vitam perpetuare solet.

164. *Quid sit Homo.*

ESt Homo Putredo *Nascens*, cava Bullaque *Vivens*:
Vermibus at *Moriens* Esca adamata nimis.

165. *Aliud.*

TEmporis est Spolium, Fortunæ Lusus, Imago
Invidiæ, Exemplum Debilitatis Homo est.
Est Trutina Ærumnæ, Sedes antiqua Dolorum;
Denique tum Bilis, tum Pituita mera est.

166. *Omnis Homo Hypocrita.*

EHeu! jam toto dominatur Hypocrisis Orbe;
Vult Malus esse Bonus, Non pius esse Pius.

Sauromatas quamvis adeas, nec Hypocrita dêerit;
Sis modò solus ibi, tunc ibi Hypocrita erit.

167. *Bonum Opus in crastinum haud differendum.*

AD ATTALUM.

ATTALE, fac hodie: *Faciam cras*, dicere noli;
Nam prudenti Homini Crastina nulla Dies.

168. *Nemo Seipsum Laudet, aut Vituperet.*

NUnquam te Laudes, aut te Contempseris ipse;
Illud nam Vanum est, hoc Stolidumque nimis.

169. *Quid sit Invidia.*

SErra Animæ Invidia est, & funestissima Tabes,
Quæ Cor humanum tristè secare solet.

170: *De Vanitate Mundi.*

TEmpus abit, Mors certa venit, vanescit & Orbis:
Fac benè quod debes, fac citò quodque voles.

171. *Dives semper anxius.*

TEste Bione, minor Bona conquisita tueri
Anxietas non est, quàm cumulare sibi.

172. *De Tranquillitate Animi.*

VIvere præstat humi recubantem Mente serenâ:
Quàm si Turbatum Gemmea Sponda ferat.

173. *De Obedientiâ Parentibus debitâ.*

AD PONTILIANUM.

SI *Parere* est Matris, Patrisque *Parare*, quod æquum:
Parere est Nati, PONTILIANE, probi.

174. *Doctrinæ*

174. *Doctrinæ Encomium.*

AD MARTINIANUM.

DOctrina Argentum est Plebeis, MARTINIANE:
Aurum Nobilibus, Gemmaque Principibus.

175. *Quid sit Amor.*

VUlnus AMOR gratum est, multumque suave Venenum:
Dulcis Amarities, Martyriumque hilare.

176. *In Avaros.*

ESt similis stupido malesanus Avarus Asello:
Aurum qui gestat, Carduus Esca Sibi est.
Est similis Porco pingui: Qui Gutture secto
Dum moritur, modò tunc Utilis esse solet.

177. *In Concionatores.*

UT periêre Fabri, qui Arcam struxêre Noëmi:
Sic tandem doctus Præco malusque perit.

178. *In Divitias.*

DIVITIAS Patres vocitârunt *Pabulum Averni*:
DÎ-VITIIS alium non statuêre Rogum.

179. *De Liberalitate.*

NOn est Una *Manus* Tibi, non sit *Munus* & Unum;
Tu Digitos *numera*, *Munera* totque dato.

180. *Omnia Vincit Amor.*

OMnia Cœcus Amor *Vincire*, & *Vincere* sûevit;
Damno id SAMPSONES perdidicêre suo.

181. *Aliud.*

SAMPSON, qui rabidos vicit, domuitque Leones:
Proh Pudor! à turpi vincitur ille Lupâ.

182. *Vina Venusque nocent.*

PRincipium Veneris si sit Vinique suave:
Et Vini, & Veneris Finis Amarus erit.

183. *De Avaritiâ.*

AD PONTICUM.

IGnis Avaritia est; Quò plura Alimenta ministras:
Ignis eò semper, PONTICE, major erit.

184. *Homini non fidendum.*

NEu Homini fidas: Qui OSANNA hodiè ingeminavit:
TOLLE, exclamabit Cras, CRUCIFIGE, Reum.

Idem Germanicè.

Verlaß dich auff die Leute nicht.
Sie seynd wie eine Wiege.
Wer zu dir heut Osanna spricht/
Sagt morgen/ Crucifige.

185. *Acti Labores jucundi.*


LÆta venire Venus, Tristis consuevit abire;
Tristis at adventat, Lætus abitque Labor.

186. *Aliud.*

GRata Laboranti Requies; Præcedit Amaror:
Postera sed gravido Gaudia Melle natant.
Lætitiæ Labor est durabilis Arrha futuræ:
Gaudia & obsonat non moritura Labor.

FINIS LIBRI SECUNDI.

CAROLI



CAROLI DESIDERII ROYERI
DE NOMMÇEIO,
SELECTORUM EPIGRAMMATUM
LIBER III.
POLITICA
COMPLECTENS.

---

1. *Quid ſit Monarchia.*

IMperium tria ſunt Suſpiria magna: *Lucrandi*,
Conſervandi, *Amittendi*; Hæc tria, Vita Potentum.

2. *Imperium grave Onus eſt.*

VErba *Rego*, & *Gero*, non magno diſcrimine diſtant;
Dum *Regit* Imperium Rex, Humerisque *Gerit*.

3. *Magnum Imperium quomodò regendum.*

AD TITUM.

NÎ Manibus multis tueatur Rex, TITE, Corpus
Imperij, magnâ Mente animetque, ruet.

4. *Comitas Regi commendatur.*

AD REGEM.

MOroſi *Mores* non enituntur *Amores*;
Hos Affabilitas delicioſa parit.

Neſcio quid *Magnetis* habent *Magnatis* inemptæ
Aures: quando etiam ferrea Corda trahunt.
Non ſecus ac Animos jungit, ſic Regna ligabit,
Cordium & Imperij nobile Gluten, Amor.
MAXIME REX, facilè confer, ſi poſcis Amorem;
Hoc ſinè non tutò Regia Sceptra geres.

5. *Faſtum omnem vitandum eſſe, maximè Regibus.*

ALto cùi Solio Cerebrum non firma moveret
Vertigo, nimiùm Debilis ille foret.
En AMAN ſui *amans*, paſſim ridetur ut *amens*:
Contemptum Ambitio non toleranda parit.
De ſe deſperat Mentis vaga *Nata* puſillæ:
Hoc minor eſt alijs, quò Sibi major erit.
Quàm *Faſtûs Faſtigia* ſunt *Faſtidio* Amicis!
Vis pendi multum? Te reputato parum.
Sol micet; in fundo Puteorum Stella videtur:
Lux humilis Radios nocte dieque vibrat.
Signum Animi eſt vilis, ſtreperè ſua prodere Facta;
Amniculi ſtrepero murmure prata ſecant.
Promove Aquas Decorum cum Majeſtate ſilenti;
Sic urgent Undas Flumina magna ſuas.

6. *Vitia Principum maxime notantur.*

NUlla tegit totum Magnatem Larva; videntur
Hi Soles fixo lumine, quando cadunt.

7. *Teneant Reges modum in Beneficijs conferendis.*

NOn rarò poſtquàm Bona plurima contulit Uni:
Hæc in eo tandem Rex Benefacta timet.

8. Reges

8. *Reges cum delinquunt, Culpam in Ministros non conferant.*

INterdum & stolidus sua Rex Errata, Ministri,
(E re si fuerit,) Perditione tegit.
Bis errans Princeps; Animo dum punit iniquo
Innocuum: quando se videt esse Reum.

9. *Patientia Subditorum læsa, fit furor.*

AD QUENDAM PRINCIPEM.

PArce Tuis, PRINCEPS; Patientia longa Tuorum
Læsa, furit pejùs: quàm furat Hostis atrox.

10. *Summa in Principe Vigilantia requiritur.*

AD REGEM.

ULtimus aspicias Solem, REX MAGNE, cadentem:
Nascentem Primus conspiciasque Diem.

11. *Rex sit Liberalis.*

DExtera donandi cupida, est Dos maxima Regis;
Multùm Ditescit? Ditet at ille magis.

12. *Aliud.*

IMperium meliùs Regis Benefacta tuentur:
Illud Sidoniæ quàm tueantur Opes.

13. *Aliud.*

AD REGEM.

GRata magis *Facili*, quæ confers, *Maxime Regum*:
Quàm quæ Tu *Plenâ* das Benefacta *Manu*.

14. *Beneficia Ingratis non conferantur.*

CIvibus ingratis benefit? Benefacta peribunt;
Si benefit gratis: tunc Benefacta manent.

15. *De Beneficijs in commune ſparſis.*

IN commune datur ſi Gratia: quilibet illam
Gaudens arripiet: Nemoque reddet eam.

16. *Rex ſimilis Platano.*

REx ſimilis Platano eſt; Pluat: Arbor denſa placebit.
Sol micet: & Rami decutientur ei.

17. *Rex ſit Clemens in Subditos.*

REgem non ſua ſe moveant, ſed publica Vota:
Se monſtret Civem, ſe gerat atque Patrem.

18. *Aliud.*

PAſtores tondere Pecus, non glubere debent;
Illud Paſtoris, Glubere verò Lupi eſt.

19. *Reſpublica Rege mortuo Vidua eſt.*

AD ARCHEMIDORUM.

ESt Regni fidus Rex, ARCHEMIDORE, Maritus;
Publica Res Vidua eſt, Rege obeunte ſuo.

20. *Omnia Conſilia, maxime Bellica tegenda eſſe.*

AD FULVIUM.

OMnia Conſilia, & præſertim Bellica, FULVI,
Quando tecta latent, tunc ea tuta manent.

21. *Multitudo Militum ſæpe nocet.*

Ad Eundem.

NOn pugnax, Armisque potens Exercitus ille eſt,
FULVI, quo latè fluctuat omne Solum.
Corpora magna, gravi ſunt ſæpè obnoxia Morbo:
Tardiùs & ſe ſe Maxima Membra movent.

Sunt

Sunt ea Vulneribus latè porrecta ferendis;
Et quis tam vastum, dic mihi, Corpus alet?
Fortis ea est Legio, centum latura Triumphos:
Quæ generosa viget, non numerosa tepet.

22. *Repentinas Irruptiones vim sæpe omnem in Impetu habere.*

AD REGEM.

SI subitò invadas Hostem, REX MAGNE, caveto:
Impetus omnem vim sæpiùs unus habet.
Si non Mucronem figas, mox ille retundit:
Inque tuum redeunt Tela vibrata Caput.

23. *Jus regnat in Armis.*

SEmper terrificis Regum Jus regnat in Armis;
Jus & *Vis* eadem Litera nonne notat?

24. *Hostis vi potiùs coërcendus, quàm blanditijs demulcendus.*

TUtiùs est vincire Manum, nè lædere possit:
Quàm lucrari Animum, ut spontè juvare velit.

25. *Hostis fortior non lædendus.*

LÆdere non tutum est, quos Tu non perdere possis;
Non Anguis Caudam *tange*: vel *ange* Caput.

26. *Quo tempore Urbs possessa in periculo sit.*

AD PAMPHILUM.

URbs, cujus Vires sensim retrahuntur ad Arcis
Intima: nonnè animam, *Pamphile*, talis agit?

27. De

27. *De Victoribus & Victis.*

MOmentis paribus Victor Victusque fruuntur
Sorte suâ; Victus dum *cadit*, iste *canit*. *

* *Alluditur ad Emblema Antonij de Burgundiâ: quo repræsentabatur Gallus, altero Gallo devicto canens.*

28. *De Clade publicâ.*

AD CAIUM.

TUnc veris Lacrymis defletur publica Clades,
CAI, dum Patrios funerat ipsa Lares.

29. *Pecunia Hostium Consilia revelat.*

COnsilia & Technæ, cauto claudantur ab Hoste
Mille Seris: Aperis, *Aurea Clavis*, eas.

30. *Pecunia Seditiosa Res est.*

ADsit, seu desit numerata Pecunia Castris;
Ut vidi, Res est Seditiosa nimis.

31. *Pecuniæ Vis, & Efficacia.*

TAntum crescit Amor, quantum ipsa Pecunia crescit;
Illa Voluntatem Sola Magistra movet.

32. *Pecunia Orbis Domina.*

AD PRISCUM.

POssidet is Mundum, rutilum qui possidet Aurum;
Navigat infelix, qui caret hujus ope.
Sis absque Argento, Miserum Te Te esse memento:
Absque Auro, Mundus nil Tibi, PRISCE, dabit.

33. *Pecunia, dum possidetur, perit.*

AD PYRRHUM.

ESt instar Fluvij numerata Pecunia, PYRRHE:
Quando tenes, cursu præcipitante fluit.

34. In

34. *In Aulâ & Bello incerta omnia.*

SPes Aulæ dubia est, incertaque Præmia Belli;
At certi Luctus, Funera certa manent.

35. *Prudentiæ Aulicæ Centrum.*

AD duos Fratres nobiles, *Aulam meditantes.*

PRudentis Centrum est: *Simulare, & Dissimulare:*
Vos trahat hoc, si vos Aulica Vita trahit.

36. *Aulæ non fidendum.*

Ad CLITUM Aulicum.

APplaudet primùm: *Supplodet* deinde triumphans:
Te tandem *Explodet* Sors malefida, CLITE.

37. *Omnia plerumque Favoribus in Aulâ dari.*

REverà paucos *Verona, Placentia* multos,
Conspicuos inter Regia Tecta facit.

38. *In Aulâ Malefactorum altam memoriam, Benefactorum nullam esse.*

AUlicus intereat: sua non Malefacta peribunt:
Sed Benefacta citò cum pereunte cadunt.
Hoc Aulæ ingenium est: Malefacta in Marmore scribit;
At Benefacta vagis omnia scribit Aquis.

39. *Aula fallax.*

PAucos Aula beat: plures Spe ludit inani;
Et si quos tollit, deinique ad Ima rapit.

40. *Aula Mare est.*

AUla infame Fretum est impuris Fluctibus: in quod
Turpiter ut refluant, Crimina mille fluunt.

41. *In Cujusdam Principis Aulam.*

AD CONDUM.

GRatia in hâc *Aulâ* ſubitò vaneſcit ut *Aura*:
Eſt omnisque *Favor* nil niſi, CONDE, *Pavor.*

42. D. PETRUS *in Atrio Pontificis Chriſtum negat.*

ESt hæc æternâ Cedro digniſſima Gnome:
Exeat ex Aulâ, qui cupit eſſe pius.
Nam facilè Mores incautis Aulici inhærent;
Hamans & fallax Principis Aula, Schola eſt.
Limina *Piſcator* vix Aulæ ignota ſalutat:
Scit mox mentiri, mox ſimulare PETRUS.

43. *Quid ſit Explorator.*

EXploratorum *Neſciri, Sciréque* Vita eſt;
Sunt Aures Regum, ſunt Oculique Ducum.

44. *De Concordiâ Reipublicæ.*

AD FLACCUM.

MAgnum Navigium eſt quævis Reſpublica, FLACCE:
Navigat inter Aquas Integra, Sciſſâ perit.

45. *Qui amat Periculum, peribit in illo.*

DIfficilè in Lubrico eſt conſiſtere tempore longo:
Plurima quem ſtantem Tela inimica petunt.

46. *Solâ avitâ Religione Regna firmari.*

AD JACOBUM II.

Magnæ Britanniæ Regem.

IMperij Navis Salebroſis fluctuat Undis:
Anchora dum Fidei mota, JACOBE, loco eſt.

47. Pro-

47. *Prognosticon futuræ Pacis in Europâ.*

HÆresis Occasum quæ Lux oritura sequetur;
Europæ Pacem Lux ea sola dabit.

48. *Reges & Regna se invicem ostendunt.*

REges ex Regnis, & Regna ex Rege videntur:
Se pandunt uno Regnaque Rexque modo.

49. *Primates in Republicâ mediocriter polleant.*

AD REGEM.

PAcatum Regnum est, omnîque Tyrannide tutum,
Quando Primatum non dominantur Opes.
Eminet in Regno, nimiùm polletque Dynasta?
Imminet hinc Regno certa Ruina Tuo.

50. *Qualitates perfecti Judicis.*

JUDEX nec minimam subodoret Muneris Auram:
Nec devincta sibi Corda favere velit.
Non sibi Librigeros Digitos permittat inungi:
Néve Manus æquas Aurea Vincla ligent.
Carnifices Hominum sunt hi, quos Nummus, Amorvé,
Jura Reipublicæ contemerare facit.
Spiritui similis sit Judex æquus oportet:
Quid Caro, quid Sanguis postulet, hunc lateat.

51. *Consiliarij improbi Reipublicæ nocent.*

QUid prodest Regem esse Pium, si Satrapa Nequam?
Noxia Virtuti Consilia hujus erunt.
Rex optabilior non æquus Consule iniquo:
Si forsan Populis hic *nocet*, ille *docet*.

52. Utili-

52. *Utilitatis causâ omnia fiunt.*

EX proprio ſemper præhabentur quælibet Uſu:
Utilitas laxat, ſtringit ubique potens.

53. *Ad Reges non ita prope accedendum.*

REges ſunt Igni ſimiles; Si haud longiùs abſis,
Fis Calidus: Stantem ſed prope Flamma cremat.

54. *Gratia Principum Inſtabilis.*

PRincipibus facilè nè fidas; Sæpè Leones
Audent Altores dilacerare ſuos.

55. *Perfecti OFFICIALIS, ſive Judicis Eccleſiaſtici Partes.*

Ad quendam OFFICIALEM, *Amicum.*

SI nulli *Officias*: Sed in omnes *Officioſus*,
Quod rectum *Efficias*, OFFICIALIS eris.

56. *In Magnates vix unquam Calamus ſtringendus.*

AD BAVIUM.

NOn in eos *Scribas*, qui te *Proſcribere* poſſunt;
Optima vivendi Norma, *Tacere*, BAVI, eſt.

57. *Fama Ducis multum poteſt.*

FOrtem audire Ducem, Pars non poſtrema Triumphi
Sæpè triumphavit Fama vel Una Ducis. (eſt.

58. *Quando errare durum.*

AD PETRONIUM.

SUnt duri Errores nimiùm, mihi crede, PETRONI:
Dum nulla admiſſos Multa lavare poteſt.

59. Regis

59. *Regis ad Exemplum Orbis componitur.*

VIrtus Regnantum Censura est maxima Vulgi;
Si malus est PRINCEPS, *Principiumq;* Mali est.

60. *In Fraudulentum & Versipellem.*

AD PYRAMUM.

VIctorem ingenio Vires sæpissime vincunt:
Atque *Dolos* sequitur, PYRAME, sæpè *Dolor.*

61. *Animus suspensus facile mobilis.*

AEre quod pendet, minimo versatile pulsu est;
Sic suspensum Animum Ventulus unus agit.

62. *Regula Bellica.*

COnsilio ac Armis citiùs superetur ut Hostis:
Autor Consilij, promptus & *Actor* erit.

63. *In Adulatores.*

OMnis Adulator Regi blanditus iniquo,
Dicendus meritò *Regius* ille *Canis.*

64. *Aliud.*

COrvus Adulator, Corvis damnosior: Illi
Mortua cum rodunt Corpora, Viva vorat.

65. *Aliud.*

AD REGEM.

PAucis credideris, si vis regnare quietè:
Assentatori nè pateatque Domus.
Auribus ut binis circum plena Amphora fertur:
Sic Princeps, qui avidè mellea Verba capit.

66. *Abſtinentia in Belliduce requiſita.*

LAuta Culina Duci, Caſtris frigentibus, haud ſit:
Milite jejuno non decet Eſſe Ducem.

67. *Quid ſit Fiſcus?*

AD REGEM.

ESt Fiſcus, REX MAGNE, Lien; Si creverit ille:
Regni tabeſcent omnia Membra tui.

68. *Prece humili Reges flectuntur.*

SI non REX audit, Plantis adſternere Regis;
Aures atque Oculos Rex ibi ſæpè gerit.

69. *Quid ſit Amicus Regis.*

AD DIONYSIUM.

CAlculus eſt numerans, DIONYSI, Regis Amicus:
Centum qui valuit, jam valet ille Nihil.
Vas etiam plenum eſt, Vacuat quod Dextera Regis:
Projicit & Vacuum dëinde Siniſtra Manus.

70. *De Ducis Pietate in Suos.*

DUx ſervet potiùs centum de Civibus Unum:
Hoſtes quàm centum & mille necare velit.

71. *In Calliditatem hujus Sæculi.*

CAlliditas ſe ſe cum probro deniquè perdit;
Quæque propinavit, tecta Venena, bibit.

72. *Bellum haud temere innovandum.*

AD REGEM.

ALea Belli anceps; temerè nè Bella reſumas.
Sæpè ſuum perdit, Regna aliena petens.
Navita ſic Proram dum credit Fluctibus atris:
Naufraga mox vaſto Gurgite Prora perit.

Et dum

Et dum luctatur cum Fluctibus: Omnis ei Asser,
Perfida nê miserum sorbeat Unda, placet.

73. *Bellum Pacem efficit.*

SEriò dum geritur Bellum, Pax instat amica.
Arbor mira OLEA est: tincta cruore viret.

74. *Quantùm Discordia inter Belli-duces noceat.*

NOn tot Dissidio Medicorum Funera specto:
Quàm fractas Acies Seditione Ducum.

75. *Reges Exercitibus præsint.*

NOn benè pugnatur, cum ducunt Agmina Regem;
Agmina si ducat Rex, cadet Hostis atrox.

76. *Rex malus in Se, & in Subditis punitur.*

REgis Culpa Suos, torquetque hunc Pœna suorum.
Sanguis Eos: Regem Lacryma multa rigat.

77. *In Reges Avaros.*

REgibus haud Nomen Regis tribuatur Avaris:
Aurea sed potiùs dicito Mancipia.

78. *In Reges pravos.*

REx Probus & Prudens, SOL TERRÆ jure vocandus;
Pravus & Imprudens, jure COMETA nocens.

79. *In Suspectos & Suspectantes.*

AD DRUSUM.

INter Suspectos Suspectantesque, Cavetur
Nunquam, DRUSE, satis; Tu fuge tale Probrum.

80. *De Timore.*

AD PAPINIANUM.

NUllà satis possunt Munimenta esse Timori;
Est Lictor Legum, PAPINIANE, Timor.

81. *Aliud, ad Eundem.*

IN Portenta Metus Trepidantibus omnia vertit;
Qui timet, est se se, PAPINIANE, Minor.

82. *Ad quendam Principem, Regnum Cypri ambientem.*

QUomodò Regna reget Princeps, Sibi Subditus ipsi?
Rex cupis esse Cypri? Rex priùs esto Tui.

83. *Numerosi Exercitus non semper timendi.*

AD REGEM.

INnumeros Hostes noli, REX MAGNE, timere;
Nec timet innumeras vel Lupus Unus Oves.

84. *Rex in ipsos Malèvolos Beneficus sit.*

INdomitos Cives Benefactis vincere par est;
Offa oblatranti sic tribuenda Cani.

85. *Rex sit Comis & Humanus.*

NOn licet à Vultu Regis discedere Tristem;
Corpus Sævities, Pectus Amorque movet.

86. *Poësis Regem haud dedecet.*

ET *Sceptrum*, & *Plectrum* benè consociata sonabunt:
David sic & Rex, atque Poëta fuit.

87. *Princeps Ærarij Custodiam in se non sumat.*

SE penes haud unquam Princeps custodiat Aurum;
Cura Hominis, Nummi sed Sibi nulla datur.

88. *Hostis*

88. *Hostis sensim vincendus.*

HOstem si quando nequeat superare Securis:
Lenta illum tandem sæpè Dolabra domat.


89. *Quid sint Urbes.*

AD HYLLUM.

ÆRumnæ dicas Urbes ac Oppida Sedes:
Quêis veluti Septis clauditur, HYLLE, Dolor.

FINIS LIBRI TERTII.





CAROLI DESIDERII ROYERI
DE NOMMÇEIO,
SELECTORUM EPIGRAMMATUM
LIBER IV.
ENCOMIASTICA
COMPLECTENS.

Proteſtatio Autoris.

SI quæ Epigrammata Autor in Laudem Imperatoris, Lotharingiæ Ducis, Aliorumque REGI noſtro nunc adverſantium conſcripſit: Exciderunt illa ante Belli præſentis Motus. Adeoq; PROTESTATUR, Se ea non ex partiali, atque indebito erga Hoſtes Regni Affectu: Sed ex communi illâ, quam Regibus, & Principibus Chriſtianis omnes debent, Veneratione concinnâſſe; Neq; quidquam connotare voluiſſe, quod REGI noſtro OPT. MAX. aut ulli alij minus gratum eſſe poſſit. Virtutes enim & in Hoſtibus admirari, laudareque convenit. Cumque Poëtæ plerumq; Ludant, cum Illudunt & Laudant: Libertas illis paulò amplior concedenda videtur, quàm Alijs.

Vates dum *Ludunt*, non ſemper Carmine *Lædunt*;
 Muſa expers *Iræ* Fila movetque *Lyræ*.

1. Ad

1. *Ad INNOCENTIUM XI. Pont. Max.*

EX quo in Sede Petri regnas, *Sanctissime Præsul*:
  Subsunt cuncta Tuo Regia Sceptra Pedo.
Ex quo accepisti Claves, quas Petrus habebat:
  Infrà Te Cœli Sidera quæque micant.
Suprà Te solus Christus dominatur in Orbe:
  Ex quo Tu Christi nobile Munus obis.
O quantas passa est Eclipses Turcica Luna!
  Sparsisti ut Radios, *Auree Phœbe*, Tuos.
Vicisti Juvenis Ferro non deside Turcas:
  Nunc Auro superas multipotente Senex.
Alis qui Auratis AQUILAS volitare dedisti:
  Aurea nè spernas LILIA, SANCTE PATER.

2. *Ad Eundem.*

(Alluditur ad illam Prophetiam S. Malachiæ, è Monacho Benchorensi Archiepiscopi Ardinocensis, Hyberniæ Primatis: quâ prædixit, hunc Pontificem fore Belluam insatiabilem.)

INSATIABILIS es, Terræ ter Maxime PRÆSUL:
  Vivere qui *Magno* non potes absque CIBO. *

* *Cardinali.*

3. *Ad ALEXANDRUM VIII. Pontificem Max. recens creatum.*

TAndem igitur nostris exoptatissime Votis,
  Spes Orbis vidui, MAXIME PRÆSUL, ades!
Sat Lituis Belloque datum; procul Arma recedant:
  Tympana sat tristi concrepuêre sono.
Jam rerum secura Salus, jam publica Mundi
  Lætitia: & plenis copia abundat agris.
Sub Te pro duris Oleæ nascuntur Echinis:
  Proque Myricâ humili Palma superba viret.

Jamque fluunt largis per Te aurea Sæcula rivis:
Et læto cinctu Pax trabeata redit.
Post grave Diluvium, Tempestatesque frementes,
A Te Orbis tandem Munera Pacis habet.
Magnus Alexander, quem Bellis terruit Orbem:
Pacis, ALEXANDER MAXIMUS, Arte foves.
Junxit ALEXANDER divisum SEPTIMUS Orbem: *
Tu paria OCTAVUS nos BONA habere dabis.
Europæ Proceres armatas ponite Dextras:
Fœdusque æternum Corda Manusque liget.
Vir Superis charus, Terræ datus auspice Cœlo:
Et PATER, & PASTOR, sic jubet atque rogat.
Attila Pontificis Monitis pacatus obedit:
Vosque piget PATRIS Jussa sacrata sequi?

* *Sub Nomine FABII CHISII fuit ad Tractatus Pacis Monasteriensis Extraordinarius Mediator.*

4. *Ad LEOPOLDUM I. Rom. Imperatorem.*

NObilis Austriadum Sanguis, LEOPOLDE, Camœnis
Da veniam timidis, si Tua Facta canunt.
Quæ quidam Vates prædixit, * facta videmus;
Cùm Te Sole orto Turcica Luna cadit.
Nimirùm quando *Te consumptum esse putästi*:
Ortus es, ut clarus Lucifer, Astra fugans.
Magne Triumphator Mahometis, vince Rebelles;
Et Turcas Christi subdere perge Jugo.
Nam Tibi pars Orbis cessit, pars altera REGI,
Post Te Christiadum quem pia Regna colunt.
Eoas Christi Tu Regnum profer ad Oras:
Dum REX Occiduis id dat inesse Plagis.

* *Mart. Stredonius S. I. qui illi applicare solebat illa Verba Iobi:* Cùm Te consumptum putaveris, Orieris ut Lucifer.

5. *Ad*

5. *Ad* LUDOVICUM XIV. *Gall. Regem.*

SI Te non capiat totus, REX MAXIME, Mundus:
Quomodò Te capiet Mens mea, Charta mea?

6. *In promptam & profluentem Ejusdem* CHRISTIANISSIMI REGIS *Eloquentiam.*

A Te Terrarum discent Regnare Monarchæ:
Sed Populi discent, O LODOICE, Loqui.

7. *De Eodem.*

VEstitum & Linguam Gallorum, Teuto, Bohemus,
Danus & Hollandus, Suecus & Anglus amant.
Si Nitor eximius Vestis tot Gentibus Orbis:
Sique illis tantùm Mellea Lingua placet;
Quantùm Majestas REGIS, Virtusque placebit?
Totus Eo tandem Gallicus Orbis erit.

8. *Ad Eundem* REGEM MAXIMUM.

Cùm Sol Occiduis noctu latet abditus Undis:
Illustrat vastum plurima Stella Polum.
Sed cùm vectus Equis rutilis se Gurgite tollit:
Amittunt Radios Sidera cuncta suos.
Sint MAGNI REGES, Cultûs Idola profani:
Quorum Orbis supplex lucida Sceptra colat.
En sua jam MAGNUS LODOICUS Lumina spargit:
Et Stellas inter Numinis instar Is est.
Abscondant igitur, cùm Sol hic emicat Orbe:
Abscondant Ignes Astra Minora suos.
Orbi illustrando sicut SOL sufficit UNUS:
Illi sic UNUS sat LODOICUS erit.
MAXIME Magnorum Regum, LODOICE, Triumpha:
Et cedant Armis omnia Regna Tuis.

Tu Pace & Bello MAGNUS, Tu MAXIMUS Unus;
Nec CUNCTIS IMPAR, * debet habere PAREM.

* *Quia* Major.

9. *Ad Eundem.*

EST Elephas magnus, fortis Leo, maſcula Tigris;
Truncaturque Elephas, tum Leo, tumque Tigris.
Si Rex fortè aliquos, Sibi non tamen attrahit omnes;
Sæpius Uni Par, Pluribus Impar * erit.
Tu, qui non Uni es, nec Pluribus Hoſtibus Impar:
Par Cunctis, Nemo ſed, LODOICE, Tibi.

* *Auſon. Prud. & Alij ultimam in* Impar *corripiunt.*

10. *Ad Sereniſsimum Franciæ DELPHINUM,*
VICTOREM AD RHENUM.

PEGASE, rumpe moras; celeri me tolle volatu:
Ut nova DELPHINI Martia Facta canam.
Aſpice, ut ad Rheni partes pernicibus alis
Intrepidum Heroëm Gloria avita tulit;
Utque Palatino Campo jam REGIA Lauros
Centenas primò meſſuit Enſe MANUS.
Sæcula Cæſaribus non tot peperêre Triumphos:
Quot, DELPHINE, Tibi protulit Una Dies.
Incipis: & properi Molimina prima Gradivi,
Attonita antiqui temporis Acta ſtupent.
Palmam Palmæ addis, latè cumulasque Triumphos;
VICTORI totus jam canit Orbis IO!
Celſa *Philippsburgi* non obſtant Mœnia; Cœptum
Undipotens *Rhenus* non remoratur Iter.
Non Baliſta graves, quas evomit, Ænea Glandes,
Impavidum Pectus ſede movere queunt.
Præſenti properas Caput objectare Periclo;
Munitus Lauro, nec Jovis Arma times.

Ut

Ut VENI, VIDI, VICI *fortissima* (dices)
Mœnia; Nam solùm Te minitante cadunt.
Ut Tu Cœpisti, nullus Rex finijt; At quod
Nunc Tibi Principium est, Is Tibi Finis erit.
Prævertit tenuem volitans Victoria Musam:
Factorumque Inopem *Copia magna* facit.
Tam rapido Cursu Stadium decurris HONORIS:
Pegasus ut nequeat quâlibet Arte sequi.
Ut Mora sit, DELPHINE, mihi, Tua Facta Canendi:
Major Vincendi sit Tibi, quæso Mora.

Idem Gallicè.

Sur le Commencement des Conquestes de Monseigneur LE DAUPHIN sur le Rhin.

Pour chanter les premiers Exploits,
De l'Auguste Heritier du plus puissant des Rois,
J'ay besoin de Forces nouvelles:
Je pretens publier les Efforts de son Bras;
Mais pour le suivre en Ses Combats,
Pegase, presse toy, de me prêter tes Ailes.

Voy-tu ce Heros glorieux,
Animé des Vertus qu'il eut de ses Ayeux:
Porter jusqu'au Rhin les Alarmes:
Cent Lauriers moissonnez par ses Royales Mains,
Au milieu des Champs Palatins,
Ne sont qu'un Coup d'Essay de ses premieres Armes.

Jadis apres mille Hazards,
Un Siecle produisoit moins d'Honneur aux Cesars,
Qu'un Jour seul ne T'aquert de Gloire;

Tu

Tu commences, GRAND PRINCE : *& les Heros*
Ne peuvent s'étonner assez, *(passez,*
Que sur Tes premiers Pas vole ainsi la Victoire.

Ce terrible Ouvrage de Mars,
PHILISBOURG, *orgueilleux de ses fameux Rem-*
S'opose en vain à Ton Courage ; *(pars,*
Ce Fleuve renommé par ses rapides Flots,
Ce Tombeau de tant de Heros,
Le RHIN *même ne peut retarder Ton Passage.*

Ces Feux qu'on Te void dédaigner,
Mille Trepas volants ne peuvent T'éloigner
Des Murs, que Tu veus mettre en poudre ;
Cent Tonneres d'airain semblent T'encourager :
Tu cours au devant du Danger ;
Couvert de Tes Lauriers Tu ne crains pas la Foudre.

Déja Tes Triomphes divers,
Du Bruit de Ton grand Cœur ont rempli l'Univers :
Il chante Ta Gloire immortelle ;
Moy, je ne puis parler, pour avoir trop de quoy :
Ma Muse est trop foible pour Toy,
GRAND PRINCE : *& Tes Explois vont trop vite pour Elle.*

Tu cours avecque tant d'Ardeur
Dans la noble Carriere, où T'apelle l'Honneur,
Que je ne puis suivre Tes Traces.
A peine Tu parois, qu'il n'est point de Rempars,
Qui ne tremblent à Tes Regards :
Point de Mur, qui ne tombe à Tes seules Menaces.

Les Siecles n'ont point vû de Rois,
Par Tes Commencemens couronner leurs Explois;
Et Tu vaincras toujours de même.
Mais, PRINCE, *si Tu veus nous laisser quelque Tems,*
Pour chanter Tes Faîts éclatans :
Fais en prendre, pour vaincre, à Ta Valeur extreme.

11. Ad Eundem Sereniss. DELPHINUM, *Philippo-Burgi Expugnatorem, ipsâ suâ Natali Die.*

DELPHINE, O MAGNI LODOICI Maxima Proles;
PATRIS Honor, Decus & CONJUGIS, Orbis Amor.
Quæ Te Festa Dies in Terris *Vivere* fecit,
Illa Philippopoli *Vincere* Te voluit.

Idem Gallicè.

Sur ce que Monseig. *LE DAUPHIN* a pris Philisbourg le Jour de sa Naissance.

GEnereux Fils de LOUIS *Triomphant;*
Tresdigne Epoux de la VICTOIRE :
Le même Jour qui T' a vû naître Enfant,
Dans Philisbourg T' a vû naître à la Gloire.

12. Ad Eundem.

PRopitio salvat STARENBERG Marte Viennam?
Eclipsin patitur Turcica Luna gravem.
Firma Philippsburgi defendit Mœnia FRATER?
Heu! *Solis Radium* vix tolerare valet.

Idem

Idem Gallicè.

Sur là même Prise de Philisbourg.

DAns Vienne Starenberg *fit eclipser la Lune,*
Avec un pompeux Apareil.
Son Frere *à Philisbourg, (Inegale Fortune!)*
N'a pas pû soûtenir un Rayon du Soleil.

13. *Ad Eundem.*

CApta Philippopolis per Te, DELPHINE, potentis
Æmula Brisaci, Teutoniæque Caput;
Imperij Clavis, *Rheni* Regina *bicornis*:
Quæ celsas Turres Sidera ad ipsa tulit.
Illas vertisti paucis, Dux MAGNE, Diebus:
Annorum dignas Obsidione decem.
Si quovis Anno capias, DELPHINE, tot Urbes:
Tempore non longo jam Tuus Orbis erit.

14. *AD REGEM.*

NOn *Speras, Spectas* DELPHINI Vivus Honores;
Quàm Tu igitur *Felix* es, LODOICE, P*arens*!

15. *Ad* JACOBUM II. *Magnæ Britanniæ Regem Maximum.*

REgum Progenies, Britonumq; Monarcha, JACOBE:
Cûi Tria Regna dedit Numinis æqua Manus.
Fas etiam mihi sit longinquis abdito in Oris,
Carmine Virtutes concelebrare Tuas.
Sed quid? Inhumanos (proh Crimen!) cernó *Leones*,
Qui tentant Solium dilacerare Tuum.
At Superis confide; Tibi qui hæc Regna dederunt,
Non facient Stygijs illa subesse Feris.
Jam, fateor, passim desertus & exul oberras:
Ut David, Saulis Subdola Tela timens.

Si fugis

Si fugis ut David, vinces Davidis ad instar:
Nec Saul, nec tumidus jam Goliathus erit.
Vix natus, jamque exul eras; Lictoris & Arma
Vidisti innocuo Sanguine tincta Patris.
Verùm qui Infantem Patriæ Te reddidit olim:
Regem Te Regno reddet & ille Tuo.
Quæ *Regni* HÆREDEM post tot Tibi tradidit Annos:
Regnum restituet Prodigiosa Manus.
Sanctorum Sanguis, qui sub diro Ense rubescit;
Aurora est, Fidei Lumina clara ferens.
Tandem illucebit Patriæ post Nubila Phœbus:
Phœbus erit Christus, Phœbus avita Fides.
Sic quæ Vatidico *Virgo* prædixerat Ore
Hispana: * hæc fieri denique Terra videt.
Macte animo, furit incassùm mala Bestia Averni;
Ad *Galli* Cantum jam *Leo* corde tremit.
ALCIDES Stygiam qui nuper sustulit Hydram:
Tollet & hoc Monstrum multipotente Manu.
Macte igitur; nam Causa bona est, Tua Causa, JACOBE:
Illa Triumphabit: nam Tua Causa, DEI est.

* *Marina de Escobar: Cui à Christo revelatum est, Angliam brevi ad Fidem Catholicam convertendam. Vt testatur Ven. P. Ludovicus de Ponte, in Ejus Vitâ.*

16. Ad Illustriss. & Reverend. Dominum, D. GEORGIUM D'AUBUSSON, DE LA FEUILLADE, Archiepiscopum Ebredunensem, & Episcopum Metensem.

EMERITE ANTISTES, centum dignissime Mitris:
Metensis Cathedræ Gloria, Regis Amor.
Non decet immemorem Musam Benefacta silere:
Quæ Cordi inscripsit non vitiatus Amor.

Horridus

Horridus Errorum Sylvis jam rursus Avitâ
  Per Te florescit Religione SARA.
Strata Tuis iterum surgunt Altaria Donis:
  Et per Te centum Templa novata nitent.
Hoc in Munifico Campo præcurris amanter
  Alatas Populi, Presbyterumque Preces.
Sique aliena Manus pro Te ullum dividit Aurum:
  Quæstor tunc Animus vult tamen esse Tuus.
Tu PASTOR BONUS es: Sub Te tutabimur Agnos,
  Nè Stygius Domini turbet Ovile Lupus.
Te DUCE certantes Victoria certa manebit;
  Jamque animam victus debilis Hostis agit.
Dent Superi æternis Salvum Te Vivere Sæclis;
  Hæc mea Musa Tibi, PRÆSUL AMANDE, vovet.
Compenset Zelum, Studiumque perenne *Vovendi*,
  Vivendi longâ Prosperitate DEUS.
Si foret Annorum Musæ satis ampla Potestas:
  Momentum Vitæ cederet omne Tibi.

17. *Ad Serenis[s].* LOTHARINGIÆ DUCEM, *Turcarum Domitorem.*

MAxime Christiadum Defensor, CAROLE, Terror
  Unice Turcarum, Teutoniæque Basis.
Non Te Dux quisquam pictis ardentior Armis,
  Jam pugnaturi Militis Agmen obit.
Aptior haud alter Campo discurrere, Turmas
  Hortari, Hostiles & cohibere Minas;
Vulnus honoratum per multas quærere Strages:
  Et stare intrepidum Mortis amore paris.
Bellonam reverenter habes Tibi jure faventem:
  Cogis ad obsequium, cum Tua Jussa fugit.
In Campo mala Causa nequit consistere Victrix;
  Aut cadit, aut cedit; Sed bona Causa manet.

Hinc

Hinc quócunque îsti, Victoria certa secuta est:
  Numine promptè Armis velificante Tuis.
Josue cum pugnat, medio Sol constitit Orbe:
  Cum Tu pugnâsti, CAROLE, *Luna* stetit.
Perge igitur, Turcas & debellato superbos;
  Proque *Ducatu Uno*, Plurima Regna cape.

18. Ad Serenifs. Principem Palatinum, CHRISTIANUM, Ducem Bipontinum, & Regiorum Exercituum in Gallia Legatum.

MAgna Palatini, DUX, Gloria Sanguinis: Heros
  Ante alios meritò concelebrande Mihi.
Namque Bipontinâ nostras das Urbe morari
  Musas; hisque favet Nominis Umbra Tui.
Fas erit in Laudes exili excurrere Metro:
  Et gratæ Mentis spontè dedisse Notas.
Hæc, *Princeps Digne*, est Virtutum Summa Tuarum:
  ET DEUS, ET REX; hæc Unica Meta Tibi.
Quod nostrum augusto rursus stet Pariete Templum,
  Majorum rarâ quod Pietate stetit; *
Id, *Dux Magne*, Tuum est; Veterem Tibi Templa nitorem
  Debent: & Pacem Patria nostra suam.
Sic Superis servire studes: ut Corde *Monarchæ*
  Maximo inhærescas, quem Orbis Uterque colit.
Hinc Tibi dat Populos, Turmas traditque regendas:
  Ut DUX Militibus sis, Populisque PATER.
Nimirùm quæcunque Tibi sit Sparta gerenda:
  Tu par Unus eris Cûique, nec Ulla Tibi.

* *Alexander Dux Bipont. Hierosolyma redux, illud ad imitationem Templi Hierosolymitani ad Sepulchrum Domini, ex toto olim ædificari fecit.*

19. *Ad* SUPREMUM SENATUM METENSEM, *Æquitatis Studiosissimum.*

CUria par Divis, Mens Regis, & Arbitra Regni,
Liligeræ Gentis Fata suprema regens.
Judice Te, dubias gaudent componere Lites:
Sive *Sarave* tuas, sive *Mosella* tuas.
LIBRAM Æquam gestas: non inclinatur ab Auro;
Et Palea, & Ferrum, par ea pondus habent.
Fert Provinciæ onus; nec pondere rumpitur ullo:
Jura Sacræ Themidos non temerata colit.
Imponet frustrà Fortuna superba Coronas,
Sceptra, Thronos: & quæ Mors fera Tela vibrat.
Auriferos Montes frustráque liquabit in unum:
Et quas prædives continet Indus Opes.
Non Grani Scrupulo quodvis præponderat Aurum;
Contra Jus Illam Pondera nulla movent.

20. *Ad Reverendiss & Perillustrem Dominum,* D. MATTHIAM STARCK, *Episcopum Coronensem, & Suffraganeum Moguntinum.*

MAgna Moguntinæ, MATTHIA, Goria Sedis,
Atque *Coronensis* Spes memoranda *Mitra.*
Præsule Te, perdit malè partam Turca *Coronam*:
Deberi & Meritis ingemit ille Tuis.
Nimirùm post tot Vocis Calamique Triumphos,
Splendida erat tandem danda CORONA Tibi.

21. *Ad Reverendiss. & Perill. Dominum,* D. GABRIELEM HAUG, *Ep. Trip. Suffraganeum Argentinensem, Provectissimæ Ætatis Virtutisque Virum.*

SI Fati expertes Homines facit Unica VIRTUS:
An mirum est, Te non denique posse mori?

22. *Aliud*

22. *Aliud.*

EST Mortalis Homo, Mortalis at Angelus haud eſt;
Angelus eſt GABRIEL: Non timet ille mori.

23. *Aliud.*

ANgelicâ Vitâ, Angelico tum Nomine Clarum:
Annis Angelicis Vivere nonnè decet?

24. *Ad Reverendiſs. Patrem* FRANCISCUM DE LA CHAIZE S. J. *Chriſtianiſſimo Regi à Sacris Confeſſionibus.*

REx Animi Regis, Judex probe Judicis Orbis:
Cûi Soli Regis Corda, Deoque patent.
Felicem Superis, *Fortem* ipſi Gallia Regi:
At *Sanctum* debet tum Tibi, tumque Deo.
Coccineum gereres jam dudum in Fronte *Galerum*:
Purpura nî melior tingeret Ora Tibi.
Hæc vetat in Campum Laudum volitare tuarum;
Cumque jubes, altum Muſa coacta ſilet.

25. *Ad Reverendiſs. & Perilluſtrem Dominum,* D. STEPHANUM MONSENOT, *Diœceſis Metenſis Vicarium Generalem.*

MONSENOT. Anagr. MONS NOTE.

ARdua Terrarum ut Moles Montana ſuperbum
Supra alios Montes tollit ad Aſtra Caput;
Sic MONS Virtutis claræ NOTISSIMUS es Tu:
Quæ ſuprà multos, Te ſuper Aſtra locat.

26. *Ad Reverendiſs. & Perilluſtrem Dominum,*
D. LAMBERTUM A LAER, *Diœceſis Argentinenſis Vicarium Generalem, Inſignis Eccleſiæ SS. Petri & Pauli Neovillæ Præpoſitum Infulatum, &c.*

TE, LAMBERTE, cano rigidis abſtruſus in Oris,
 Ante *aliquot* Muſis cognite *Luſtra* meis. *
Mellitum Eloquium, Scripturaque amœnior Oris,
 Jam dudum caſto Pectus Amore replet.
Divite ſic Gemmâ Gangetis Flumina currunt:
 Aureo & Indigenas ſic trahit Amne Tagus.
Tu Decus Alſatiæ es, Populi Solamen, Amorque
 PRINCIPIS, & Fidei non ruitura Baſis.
Tergeminæ texant Auro Tibi Sæcla Sorores:
 Ut facili fuſo ſit Tibi parta Quies.

* *Autor Ei Carmine extemporali ante Annos 15. gratulatus eſt: cùm primùm in Episcopatu Argentinenſi Vicarius Generalis reciperetur.*

27. *Ad Reverendiſs. & Perilluſtrem Dominum,*
D. MARTINUM DE RATABON, *Diœceſis Argentinenſis Vicarium Generalem.*

QUem Virtus Divina tulit Sublime merentem:
 Convenit & Muſam concelebrare meam.
Per Te Religio clauſas perrupit in Arces:
 Reddidit & primis denique Templa Sacris.
Horruit intortis collo anguibus *Ore Tonantem*
 Hæreſis: & languens, crine ſoluta jacet.
Qualem Centuplex Alcidem ſenſerat Hydra:
 Dum Clavâ immani Colla renata metit.
MAGNI Argentinæ qui Munus PRÆSULIS exples:
 Tandem alibi MAGNUS Tu quoque PRÆSUL eris.*

* *Vide infrà Epigr. 37.*

28. *Ad*

28. *Ad Illuſtriſs. & Generoſiſs. Dominum*
MARCHIONEM DE LA BRETESCHE,
Caſtrorum Regiorum Fiduciarium Præfectum, & Fortalitij Homburgenſis Gubernatorem.

SI Palmam crucias, capit à cruciamine robur:
Celſior & ſurgit pondere preſſa gravi.
Vitem ſi reſecas, revireſcit Vulnere Vitis:
Sanguineisque notis fit ſpecioſa magis.
Si mutilas, auges: Vegetas, ſi parte revellis:
Ipſa ſuoque magis tincta cruore nitet.
Sic pro Rege decus quæris, per Tela, per Ignes:
Et pro exoptato Munere Vulnus habes.
Hoc Tua nimiùm revireſcit Vulnere Virtus:
Stat major quovis pondere Regis Amor.
Cum binis Pedibus Stadium decurris Honoris,
Se victum à Curſu Mars gemit ipſe Tuo.
Invidiâ hinc tactus Plantam Tibi ſuſtulit unam:
Injectam credens hâc Tibi Clade moram.
At brevior Tibi Via facta eſt, & Curſus Honoris
Vulnera per Plantæ certior *ipſa* fuit.
Nam ſi ſcandantur Pede Sidera celſa vel Uno: *
Te Facta UNIPEDEM Sidera ad ipſa ferent.

* *Bonum eſt Tibi Claudum introire in Vitam æternam, quàm duos Pedes habentem mitti in Gehennam Ignis.* Marci 9. 44.

29. *Aliud, ad Eundem.*

TE *Fata* UNIPEDEM quondam fecêre ſiniſtra:
At Te CENTIMANUM Martia *Facta* probant.

30. *Ad Eundem.*

REctiùs haud unquam, CITE Dux, quàm Claudus iiſti;
Ligneus eſt Tibi Pes, Ferrea verò Manus.

31. *Ad Eundem.*

QUoslibet ad passus Mutilo Pede quando moveris;
Virtutis poteris tunc memor esse Tuæ.

32. *De Præfectis Fortalitij Homburgensis.*

PLanta BRETESHEO non est nisi Lignea; Claudus
LACLOO Pes est: VILLIUS absque Manu.
MAXIME REX, quid agis? Tradis Confinia Regni,
Absque Pede Emeritis, absque Manuque Viris?
Scilicet Illi Alijs operantur Plura: Citato
Curriculoque magis Lauream Honoris habent.
Sunt nempe Heröes; Careant Pedibusque, Manuque:
Gloria condit Opus, Gloria sternit Iter.
O tutum Homburgum tantis Custodibus! Illis
Pesque, Manusque absit: non Caput, & Cor abest.

33. *Ad Illustriss. Dominum*, D. ANTONIUM BERGERON, *Dominum DE LA GOVPILLIERE, Justitiæ, Politiæ & Ærarij Regij per Saræ Provinciam Præfectum.*

DIcitur Amphion Lapides flexisse Canendo
Quondam, cum primò Dardana Troja stetit.
Alter es Amphion: imò Tu Amphione major;
Condidit hic Urbem, Tu integra Regna struis.
Dircæus Vates Cautes animare Canendo:
Et prece, quò vellet, ducere doctus erat.
At Tu SERMONIS *Chordâ* resonante vel unâ,
ANTONI, quò vis, omnia *Corda* trahis.
Fortunata Saræ Provincia! PRÆSIDE tanto,
Quam *Luteam* vidi, *Saxea* jamque micat.
Saxea? Non satis est. Per Te, *Meritissime* PRÆSES,
Saxea quæ nunc est, Aurea denique erit.

34. *Ad*

34. *Ad Eundem.*

TU *Polus* es Regni; geminis librata quiescit
Terra Polis: Te Uno nostra quieta Polo est.
Tu *Pater* es *Patriæ*; per Te curata refloret:
Dum vulsis Spinis Lilia ubique seris.
Quos Armis superat REX, Tu devincis Amore;
Hinc Sara Te, hinc Rhenus, Teque Mosella colunt.
Parce Styli obsequio læsus, *Dignissime Præses*:
Si forsan Scelus est, illud Amoris erit.

35. *Ad Illustr. & Reverend. Dominum Abbatem* MILONIUM, *Delphini Eleemosynarium.*

GLoria Parnassi, Musæ Spes una, MILONI:
ABBAS, centenis milleque digne Mitris.
DELPHINI properos modulata Thalia Triumphos,
HEROEM per Te est ter venerata suum.
En iterum pudibunda venit: Rogitatque, sub *Umbrâ*
Ad REGEM ut liceat *Nominis* ire *tui*.
Felix, quæ NATUM vidit: *Felicior* illa,
Ipsi cùm dabitur flectere Genûa PATRI.

36. *Ad Illustr. & Reverend. Dominum Abbatem* FLECHIER, *Oratorem Insignem.*

AUgustum Nomen! Blandæ nam Flumine Linguæ,
Te cunctos Homines *Flectere* posse, notat.
Hercule Gallorum major; Si is Fune ligavit
Aures: præter eas, Tu quoque Corda ligas.
Flexisti & Musam; Auriloquo Sermoneque vincta,
Gestit Mancipium jugiter esse tuum.

37. *Ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum*
D. MARTINUM DE RATABON,
antehàc Vicarium Generalem Argentinensem: Nunc verò EPISCOPUM YPRENSEM.

ANnon Eventus docuit, quod Carmine nuper
 Præsago * *Musam* concinuisse ferunt?
Hûic tua jam dudum *Virtus* prælusit *Honori*:
 Quamque *Vices* benè obîit, tam benè *Præsulem* agit.
Felicem Populum, tantum cûi contigit esse
 PASTOREM atque PATREM: qui regat, huncque (tegat!
O mihi si liceat Sacrâ recubare sub Umbrâ:
 Quàm caderent Labijs Carmina prompta meis!
Certè Parnassi *Musam* tæderet amœni:
 Satque fores illi PASTOR, APOLLO, PATER.

* *Vide suprà Epigr.* 27.

38. *Ad Reverendiss. & Perillustrem Dominum,*
D. LUDOVICUM DE GOUY DE CARTIGNY, *Vicarium Generalem Argentinensem.*

SUccessor MAGNI RATABON, Dignissime PRÆSES:
 Et Cleri, & Populi Spes, Amor atque Decus.
Ecce Bipontinis jam dudum abscondita Sylvis,
 Prodit in aspectum *Musa* tenella tuum.
Natorum *Absentem* pia flebant Agmina PATREM;
 Tersisti at Lacrymas, Tu PATER ipse Gregis.
Scilicet, ut Vates cecinit: *Si deficit unus*
 Ramus, nunc illis *Aureus alter adest*.
Te PASTORE NOVO Christi lætatur Ovile.
 Inter Oves *Musæ* quis dabit esse tuas!
Suscipe, tota tua est; Sique allatrare Molossi
 Illam fortè velint: Protege, PASTOR, Ovem.

39. *Ad*

39. *Ad Illustrissimum & Potentissimum Dominum*
COMITEM DE LORGE,
Franciæ Marescallum.

LE COMTE DE LORGE, MARE'CHAL DE FRANCE.

Anagramma.

CERCHE A DOMTER L'ALLEMAGNE DE FORCE.

NObilis Heroum Sanguis, DUX inclyte Factis:
Quæ ultima Posteritas plena stupore leget.
In Te nunc *Magnus Turrenius* ille revixit:
Ille Ducum Princeps, Militiæque Decus.
Si non Discipulus debet superare Magistrum;
Attamen hunc illi nil vetat esse parem.
Ito igitur, firmi & perfringe Repagula Rheni;
Teutoniamque Armis Vince, Domaque Tuis.
Sic Superi, sic Fata jubent. I, Quærito Palmas:
Quas Tibi jam dudum Gloria avita parat.
Jam fugiunt *Aquilæ*; fortem nec *Lilij* Odorem
Ferre valent. Certus, perge, Triumphus erit.

40. *Ad Perillustrem Dominum*, D. CAROLUM CASPARUM, BARONEM DE LEYEN, *sive* de Petrâ: *Et Perillustrem Conjugem* MARIAM SOPHIAM *ex Perillustri Stemmate Baronum de* SCHÖNBORN, *sive* de Specioso Fonte.

Gloria Petræ Leyanæ.

PAr Sibi, par Cœli Furijs, nec frangitur ulli;
Quin durata magis stat Jovis Igne *Petra*.
Illam fundavit Virtus: Tritavisque trecentis
Erexit Statuas hîc Studiosus *Honor*.
Sed video *Fontem* manantem è divite *Petra*;
(O *Fons Leyanæ* Gloria summa *Petræ*!)

Fons hic jam teneris *Speciosus* prosilit Undis;
At tandem Heroum Flumina magna dabit.

41. *Aliud.*

Cum Ijs Autor Concionem Germanicam de S. CRUCE offerret, habitam in Sacello S. Crucis, Castellis ad Blisam extructo.

Exaltatio Crucis in Petrâ Leyanâ.

In Petra exaltavit me. Psal. 26. 6.

CUm Divina Petram Möysis Virga feriret,
Fontes fœcundo reddidit illa sinu.
Quàm *Pulchros Fontes* tandem *Leyana* profundet
Petra, salutiferâ fœtificata *Cruce*!
Petra exaltavit *Crucis* insuperata Trophæa:
Cruxque exaltabit prodigiosa *Petram*.

42. *Ad Reverendiss. & Perillustrem Dominum,*
D. Philippum Franciscum Eberhardum,
BARONEM DE DALBERG,
Virum Nobilissimum Doctissimumque.

N*Obilis* & *Doctus*, Miracula rara: Sed uno
In Te, DALBERGI, fœdere juncta manent.
Nobilibus Major, Doctrinâ ac Arte coruscas:
Et *Doctis Major*, Nobilitate nites.

43. *Elogium Perillustris Baronis FRANCISCI ROYERI, Rei Tormentariæ per Bavariam olim Præfecti Supremi.*

NOn ad Fagineam ROYERUM nutrijt Umbram,
Duro ac immiti provida Lacte Lupa;
Sed Veri Genitrix nunquam moritura Triumphi,
Virtutum Succo *Gloria* pavit Eum.

Venerat

Venerat Arctoi Gens ambitiosa Tyranni:
  Atque Augustanos despoliârat Agros.
Qualis in immotas Rupes fremit efferus Isther;
  Sic furit in Boicas Suecica Turma Domos.
ROYERUS tumidos Fluctus tenet objice firmo;
  Liberat Augustam, Teutoniamque simul.
Augusti Proceres, meritum hûic fundate Colossum:
  Hunc poscunt tanti Martia Facta Viri.

44. *Ad Pictorem, qui Effigiem ejusdem Herois ægrè ad vivum exprimere poterat.*

PIngere ROYERUM quid cessas, anxie Pictor?
  Martem Teutonicum pingito: ROYER erit.

45. *De Eodem HEROE, præ Senio Oculis orbato.*

NOn Natalitijs Laurum quæsivit in Hortis
  ROYERUS, Stirpis Gloria Honorque suæ.
Hanc inter Gladios, inter decerpsit & Hastas;
  Protulit hanc Campus Sanguinis Imbre madens.
Ad Famam grassatus is est quàm Passibus amplis!
  Prælia straverunt non numerata Viam.
Ut vidit tantum Robur, tantumque Vigorem:
  Invidit summis Mors inimica Viris;
Nescia Mors vinci. Sed fortia Pectora Belli,
  Heröes, Armis vincere Sûeta suis.
Heröem nostrum aggreditur, sternitque Sagittâ,
  Sternit? Tunc, quando Lumine captus erat.
O si *Vidisset*! Nunquam *Vicisset* Eum Mors;
  Mars Victus fuerat, *Mors* quoque Victa foret.

46. Ad

46. *Ad Prænobilem Dominum* DE LA FONTENELLE, *per Saræ Provinciam Tribunum Capitalem, Virum Literarum omnium peritiſſimum.*

UNus in omnibus es, quod præſtant Singuli in Uno;
Laurea Cûique ſua eſt, Laurea quæque Tibi.

47. *Reſponſio illius ad Autorem.*

OMnibus Una eſſet mea Mens, quæ vix ſatis uni:
Si Veſtræ ſimilis Laurea noſtra foret.

48. *In Inſignia Urbis Homburgenſis, à Rege Chriſtianiſſimo recenter extructæ; Nempe,* Lilia in Rupibus ſuccreſcentia.

(Invenit Illuſtriſſ. D. de la Goupilliere, ſuprà memoratus, Epigr. 33. Inſcripſit Autor *LEMMA : Creſcere nil obſtat.*)

C*Reſcere nil obſtat*, non ipſa Homburgica Rupes,
Lilia Gallorum: Semper ubique nitent.

49. *Ad R. P. BLASIUM JANNOT S. J. Muſſiponti Anno Ætatis ſuæ 79. Verſus componentem in Hyeme.*

INter *Canére* & *Canere* haud diſtantia magna eſt;
Pulchrè dum *Canes*, Carmina pulchra *Canis*.

50. *Aliud.*

PSaltria Sylvarum ut gaudet Philomela quotannis
Floridulas inter dicere χαῖρε nives;
Sic Tua floriſono gaudet Polyhymnia Plectro,
Inter *Canorum* pangere Metra *Nives*.

51. *Aliud.*

VEna Senum glacie ſemper conſtricta rigeſcit;
At calet Igne ſacro Muſica Vena Tibi.

52. *Aliud.*

FRigus iners Hyemis Rivos durescere cogit:
At Tibi Castalidum perpetuò Unda fluit.

53. *Aliud.*

ODa Necem niveo prænuntiat unica Cygno;
Quando oritur, moritur Cantus, Olorque perit.
Annos millenos Vitæ, Famamque perennem,
Quæ decantâsti Carmina mille ferent.

54. *Aliud.*

NE Plectrum frangas annosum, *Nobilis Orpheu*:
Qui vi Chordarum saxea Corda rapis.
Nec sic Olorinus paucis cantatus ab Horis
Versus: Sed plures, *Optime Cane*, Cane.

55. *Responsio R.P.B. Iannot ad Autorem.*

QVomodò Metrorum grates mea Musa reponet,
Quæ sterilis Senio languet, inersque stupet?
Partibus haud æquis nolo contendere Tecum:
Cumque Tuis nostras conseruisse Manus.
Vincit Amalthæo fœtum Tua Copia Cornu:
Carminibus, pleno Fonte, perennè fluens.

(Obijt optimus Senex, plenus Dierum & Meritorum, Mussiponti, 16. Iun. Anno 1681.)

56. *Ad A.R.P. RENATUM IOBAL, Collegij Societatis IESV, & Vniversitatis Mussipontanæ Rectorem: Cùm Ei Autor Festo ejus Natali Libellum donaret, Mussiponti 12. Novembr. 1682.*

PRo Natalitio Dono præsento Libellum;
Namque Tibi solos credo placere Libros.

Quot

Quot releges Apices, tot Amoris collige Signa.
Index iste Liber totus *Amoris* erit.

57. *Ad A.R. Patrem* JOANNEM DEZ, *Rectorem Collegij, & Seminarij Regij Argentoratensis S. J.*

MAlleus Hæreseos, Tuba Religionis avitæ:
Vir Voce, & Vitâ cognite, tumque Libris.
Argentinensis Tu primus Apostolus Urbis;
Restituisque Fidem, quam tenuêre Patres.
Nî Vota obstarent, Animi & Demissio simplex:
Jam tegeret Frontem Mitra Sacrata tuam.
Regibus at Nævos Animæ pandentibus, Aures
Vota perattentas nulla locare vetant.

58. *Ad R.P.* JOANNEM AME' S. J. *Autoris in Theologiâ Mussiponti Professorem.*

(Oblatum, Festo D. Ioan. Bapt. 1681. cum Imagine, in quâ Cor pictum erat. *Notandum*, tunc Tractatum de Incarnatione prælegisse; & pridie Nativitatis S. Ioannis à Raucedine molestâ liberum, Exhortationem elegantem habuisse, in illud Regum: *Vir secundùm Cor Dei.*)

VErba, loco Doni, Tibi jam donare volebam:
Rauco nil præter Verba deesse sciens.
Sed dum clamantis Vox non moritura Joannes
Est dilaudandus, Vox Tibi prima redit.
Verba igitur non nuda dabo: *Cor* insuper addam;
Nam Tibi *Cordiloquo* Verbaque Corque placent.
Non erit ingratum Tibi Cor dum Nomini inhæret,
Cordibus imperitans *Gratia Amorque* Tuo.
Nec Tibi Verba minùs, quamvis inculta, placebunt:
De VERBO qui tam Verba polita facis.

59. *Ad*

59. *Ad R. P. I.* De Jouvancy *S. I. Oratorem & Poëtam celeberrimum.*

GLoria Parnassi, nitidæ Flos aureë Suadæ,
JOUVANCÆE, & Amor Palladis, atque Decus;
Floribus inspersum varijs cûi Carmen it: atque
Cecropium Nectar perpetuo Amne fluit.
Tale Tuum Carmen Nobis, Divine Poëta,
In viridi fessis Gramine quale Sopor.
Quale per æstivum Tempus restinguere Rivo
Dulcis Aquæ siccam prosiliente Sitim.
Te Nemus omne canet: nec Musæ gratior ulla,
Quàm quæ fert Nomen Pagina scripta Tuum. *
Musa quidem tenuis, sed eris Tu Magnus Apollo:
Arbiter exiguæ Primus erisque Lyræ.
Errabit nunquam, Modulos si dirigis Unus;
At petet Auspicijs Sidera Musa Tuis.

* *Virg. Ecl. 5. & 6.*

60. *Ad R. P.* FRIDERICUM GEIGER *S. J. in Universitate Moguntinâ Philosophiæ Professorem & Decanum.*

INsignis *Fidicen,* * Musarum dignus Alumnus:
Qui tangens Chordas omnia Corda trahis.
Quæ præfixisti nitidissima Carmina: nostras
Exsuperantque Fides, exsuperantque Fidem.

* *Geiger, Vocabulum Germanicum est, quod Fidicinem significat.*

61. *Aliud.*

PRæludit Doctus FIDICEN Tibi, Chara THALIA:
Ut non exerres, hunc imitare Tonum.

62. *De*

62. *De TYCHONE BRAHE, Astronomo insigni.*

NOtitiam Astrorum Cœlo TYCHO ducit ab alto:
Rursus at in Cœlum provehet illa TYCHUM.

63. *Ad* A. R. P. MAURICIUM CHAPPUIS, *Residentiæ S. J. Sarbockenhemij Superiorem.*

QUondam MAURICIUS, Christi memorabilis Heros,
Dux fuit & *Martyr*, Sanguine & Ense nitens.
Agminis & Tu *Dux* Sacri es, sub Nomine JESU:
Martyrij Palmam Cura Laborque dabunt.
Tu meritò *Magnus* passim *Saræ Apostolus* audis:
Qui Populos tantâ Sedulitate doces.
Ohnebergeri Successor digne, perenna:
Excultor Patriæ semper & esto meæ.

64. *Ad* A. R. D. ST. PIERRON, *Pastorem & Decanum Vinstingensem.*

URbi PASTOREM, Temploque, Choroque DECANUM,
Vix similem *Virtus* suppeditare potest.
Per Te, ut PASTOREM, Rabies superata Luporum:
Quorum Grex Christi Dente perire solet.
Cantum, Presbyteros, Altaria Sacra DECANUS
Restituis Templo, ut constituêre Patres.
Dignus es idcircò PASTOR, dignusque DECANUS:
In quo nec Livor comperit ipse Notam.
Dent Superi, multis sanum Te vivere Sæclis;
Expertem & Podagræ Te mea Musa canat.

65. *Ad* A.R. D. JOANN. MATTH. BEHR, *ſive* URSUM, *Paſtorem Bilscaſtellanum*, *&* *Archipresbyterum ad S. Arnoal. prope Saripontum.*

IN Cœlis *Urſam* grato ſplendore flagrantem:
In Terris URSUM cerno nitere ſacrum.
Illa Polo, micat iſte Solo: non Luce ſed unâ;
Illa regit Naves: hic moderatur Oves.

66. *Ad* A.R. D. PAULUM ROS, *Paſtorem Rohrbacenſem*, *&* *Archipresbyterum Hornebacenſem.*

AN ROSA, vel ROS es? *Ros* es, dum ſcribo Latinè:
At ſi Teutonicè ſcriptito, PAULE, *Roſa* es.
Nempe *Roſa* & *Ros* es; Fragras Virtutis Odore:
Cœleſtis Labijs *Ros* cadit éque tuis.

67. *Ad* A.R.D.F. RICHARD, *Paſtorem ad S. Naborem.*

V*Irtus* Te genuit, Virtus Te ſola cibavit:
Virtus & Puero præfuit, atque Viro.
Monſtrum eſſet, *Vitium* RICHARDO cernere in Uno:
Unica cùm Virtus nobilitârit Avos.
Virtutis Patriæ, FRANCISCE, haud degener Hæres;
Vive diu: & Me, qui Te Colo, ſemper Ama.

68. *Ad* A.R.D. JOANNEM BELLAIR, *Presbyterum.*

SI nihil antiquis melius reperitur Amicis:
Nil melius certè Te reperire datur.
Tu conſors olim Studij: cum Rhetore Rhetor,
Cum Logico Logicus, cum Phyſico Phyſicus.
Cum *Philo*-Tu-*Sophia* tandem *Doctore*, Magiſter:
Nunc cum Presbytero, Presbyter ipſe præis.

Quos igitur Studium semper Fortunaque junxit,
Amborum semper Corda ligabit Amor.

69. *Ad* A. R. D. ANDREAM JENNÉ, *Pastorem Tabernensem in Alsatiâ.*

DIlecte ANDREA, primis mihi cognite ab annis:
Immemor esse Tui grata *Thalia* nequit.
Scandere me Versus docuisti in Classibus olim:
Et Metricâ sparsos Arte ligare pedes.
Tunc Condiscipulus fueras meus, atque Magister:
OHNEBERGERUS Themata quando dabat.
Quàm Lentus fuerim, sed Tu quàm Sedulus: Ambos
Nos qui noverunt commemorare valent.
Si nunc *Musa* volat, dedit Alas Doctus *Apollo*:
Qui facit, ut Vati Carmina spontè fluant.
Quando *Mæcenas* Cantanti ut APOLLO favebit:
Uno pro Versu Carmina mille leges.

70. *Ad* A. R. D. HOC, *Pastorem Sarbockenhemensem.*

CUr non HIC, aut HÆC, verùm HOC vocitaris, AMICE?
Fœmina cùm non sis, Unde *Vir* esse fugis?
Neutrum es; Nam *Sexum* tua Virtus vincit *utrumq;*
Hinc Tu nec *Mulier*, nec *Vir*: At ANGELUS es.

71. *Ad* A. R. D. HENRICUM PRÆTORIS, *Autoris antehàc Vicarium: Nunc verò Civitatis Hornebacensis Pastorem.*

MI bone Successor, me longè dignior ipso
Hornebacensis Dux Gregis, atque Pater.
Lumina tot fulgent Virtutum, HENRICE, tuarum:
Hæc ut non Musæ sint reticenda meæ.

Te

Te Pastore Fides jam rursus Avita triumphat:
*Petricolas*que colis, queîs *Petra* culta *Petri*. *
Quod per Me indignum Divina Potentia cœpit,
Jam per Te optato Fine coronat Opus.
Fortè aliò Musam si mandat Apollo migrare:
Tunc & Oves pascas, Dulcis Amice, meas.
Non Martis Rabies, frendens non Ira Luporum,
Pastorem Impavidum Sede movere queunt.
Si cedo, Sacra Musa facit, quæ Pacis Amatrix,
Martis Clamores haud tolerare valet.
Quique priùs Partem Christi Tibi tradidi Ovilis;
Id Tu nunc totum PASTOR Ovile cape.

* *Steinhausiani Incola*, (*Latinè* Petricolæ:) *Qui ab Autore conversi, Omnes simul Fidem Catholicam Biponti professi sunt, Anno* 1687.

72. Ad Nobilissimum Clarissimumque Dominum,
D. UDALRICUM OBRECHT,
J. U. *Doctorem, Urbisque Argentoratensis Prætorem Regium.*

GLoria Romanæ Fidei, Decus inclytum & Urbis,
Vertice quæ dudum surgit ad Astra sacro.
Hactenus addubitans, sæpè & consultus, AN ÆQUUM
ESSET, ad Antiquam Spontè redire Fidem?
Ipsum quod Nomen (1.) multis formaverat annis,
Solvisti Dubium Voce, Styloque tuum.
Amplius haud Obrecht Te compellabo, sed Istrecht; (2.)
Cumque Fide Nomen quid variare vetat?
Romanos Canones Dicto, Factoque secutus:
DOCTOREM JURIS nunc Te UTRIUSQUE probas.

(1.) Ob-recht *significat*, An æquum?
(2.) Ist-recht *significat*, Est æquum.

73. *Ad Prænobilem & Clarissimum Dominum,*
D. LUCAM WEINEMER,
Consulem Argentinensem
jam regentem.

DOMINUS LUCAS WEINEMER.

Anagramma.

Amor Mundi ès, Niveus Luce.

NOnnè *Es Amor Mundi?* Dum Vitæ *Luce* coruſcas:
Quæ Candore *Nivem* vincere Sola poteſt.

74. *Aliud, Anagramma.*

Die, Nivee Muſarum Conſul.

DIUS es, & *Niveus Muſarum Conſul*; Apollo
Candidus & Sanctus ſic mihi Solus eris.

75. *Aliud, Anagramma.*

Num eluces Aureus Domini.

AUreus ut lucet de Regis Imagine clarus:
Sic *Domini eluces Aureus* ipſe ſacer.

76. *Aliud, Anagramma.*

Es è Luce Divinum Romanus.

R*Omanus* ſacrâ *Divinùm* è *Luce* coruſcas;
Romanæ hinc Fidei Tu Jubar, & Decus es.

77. *Aliud, Anagramma.*

Deus! Carolum inveniemus.

WEINEMERE, Tuo ſi in Nomine perlego noſtrum;
Uno hoc nonnè tuus Nomine totus ero?

78. Aliud

78. *Aliud, Anagramma.*

Mi Consul è re Usu mane diu.

ARGENTINA videns, Decora in Te tanta micare:
Hæc Tibi tam insolito Lumine capta vovet;
Mi Consul, *Rerum* è multo spectabilis *Usu*!
O mea Spes *Remane*, Luxque Decusque *Diu*!

80. *Chronographicum.*

LVCas VVeIneMer, VIr Deo, VrbIqVe argentInensI gratVs.

DAs Urbi, quæ Urbis: Superis das, quæque Dei sunt;
Hinc Urbi, ac Superis, *Vir Venerande*, places.

81. *Ad Prænob.* D. JOAN. BAPT. DE FLORANGE,
Balliviatûs Supremi Bipontini Judicem Primarium, Totamque Ejus Nobiliss. Familiam.

ANgelici Fontes, (Faciunt qui Dæmones atros:)
Sunt Muliebre Decus, sunt Muliebris Amor. *
At Vos *Angelici Flores*, insigne Virorum
Et Decus, & nunquam labilis estis Amor.

* Fontange, *Muliebris Ornamenti Genus est: Cujus usus ubivis in Gallia cum luxu viget.*

82. *Ad Prænob. Dom.* G. J. SCHARLAPAUR,
J. U. L.

GLoria Colmariæ, ac Interpres maxime Legum,
SCHARLAPAURE, mihi jam celebrandus eris.
Jam dudum mea Musa tuo devincta Labori,
Gestijt in Laudes prosilijsse tuas.
Quod me *Trubachium*, quondam antiquissima Sedes
Heroum, * Dominum me velit esse suum;

Muneris id totum ſanè Tibi debeo ſoli:
Quod non immemori, aut deſide Mente colam.
Trubachij invenit Parnaſſum Muſa peramplum;
Sylvaque præ reliquis *Trubachiana* placet.
Hîc procul à Turbis, Strato viridante quieſcens,
Grates perpetuas concinet illa Tibi.

* Trubachium *Terra eſt prope Bipontum ſita, à multis Sæculis ab omni Onere immunis; quam poſſidebant Equites ab Huvenſtatt, circa Annum* 1300. *Quæ deinde pervenit ad Familiam Durraeorum: & ab his, Anno* 1578. *ad D. Gallum Tuſchlinum I. V. D. Cujus DD. Hæredes illam nunc vendiderunt Autori.*

83. *Ad Præn. Dom.* EVLOGIVM SCHVVARTZ, *Præfectum Mertzalbenſem & Landſtulanum.*

OEconome inſignis, Patriæ Solamen Amorque:
Deliciæ Populi, Caſtalidumque Decus.
Nomine ſi *Niger* es, * Tu *Candidus* Omine totus:
Oreq; Candidus es, *Re* quoque Candidus es.
Tu *Parvus Rex* es; Subigunt vi Corpora Reges:
Tu bonitate facis Corda ſubeſſe Tibi.
Myriadas Superi Tibi dent Oviumque Boumque:
Conſerventque Tibi, quos tribuêre Greges.

* Schvvartz *Vocabulum Germanicum eſt,* Nigrum *ſignificans.*

84. *Ad Prænob. Dominum* JOANN. SIMONEM ROSINUM, *Præfectum & Quæſtorem Bliscaſtellanum.*

VIR ROSEE, Exemplar Probitatis, & aurea Vitæ
Regula, Virtutum Fax ſine fine micans.
Tu CRUCIS exaltas Decora; * exaltabit & hæc Te,
Hâc quando Scalâ Sidera ſumma petes.

* *Quid pro exaltanda S. Cruce, Vir hic egregius egerit: Vide Libellum meum Germ. de S. Cruce in fine.*

85. *Ad*

85. *Ad Amplissimam* FACULTATEM JURIDICAM MUSSIPONTANAM, *Decanum, cæterosque Professores.*

(Oblatum ab Autore, paulò antequàm ab ijs I.V. Doctor renunciaretur.)

DOCTORES LOTHARI, Sacrata Oracula Legum:
Quis fando vestrum tollat in astra Decus?
Sit licet ingenij Vis atque diserta Facultas:
Tantis dicetur Laudibus illa minor.
Quas gremio fundit fœcundo æquissima DICE,
Divinas Orbi suppeditatis Opes.
Vos divæ THEMIDOS profertis nobile Regnum:
Per Vos æternùm Juraque Sancta vigent.
Numina Terrarum formatis proxima Cœlo:
Vos Orbi Heroes Semideosque datis.
Concilio Divûm dignos generatis Alumnos
Astrææ, Mystas Justitiæque sacros.
Francica vos facitis clarescere Lilia in AULIS:
Purpuraque à vestro Lumine clara nitet.
DOCTORES ORBIS meritò vos dixero; Vestris
Legibus exurgit, dum cadit ille suis.
Flectere Justitiæ Lances tantâ Arte docetis,
Multisque ignotum, *Reddere Cûique Suum.*
GREGORII Scriptis, BARCLAIque Ore diserto,
Ingenio HORDALII promicuêre suo.
Vos non degeneres Nati: Sed digna Parentum
Progenies, Lauros commeritura pares.
Non ita Sol oriens radijs illuminat Orbem,
Doctrinæ ut vestræ Lux adaperta micat.
Si minimum illius Radium Vos Spargitis in me:
O quàm ex tantillo Lumine CLARUS ero!

86. *Ad Inclytam Civitatem* COLONIENSEM.

ANtiquæ Fidei, *Veneranda* COLONIA, Sedes:
Doctrinæ Emporium, Vera Magiſtra Gregis,
Urbs auguſta nimis, Virgo Urbs, & Sponſa fidelis,
Quæ nullâ Hæreſeos Labe notata nites.
Tu Cœlum Terreſtre, Aſtris tot Nobile Doctis,
Aurea quot celſus Sidera Olympus habet.
Altera Tu Roma es, Sacro fundata Cruore:
Quem fudit Chriſti non numeranda Cohors.
Eſto Urbs ô Profugi tranquillum Vatis Aſylum:
Si Martis Rabies fortè migrare jubet.
(Non tamen hinc migrabo, niſi permiſerit ille:
Qui fecit Muſas hactenus eſſe meas.)
O fortunatum nimiùm, tutumque Poëtam,
Illum ſi Civem tunc velis eſſe tuum!
Qui Tibi Verſiculos paucos ex tempore fecit:
Myriadas tandem concinet ille Tibi.

87. *Ad Adm. Reverend. & Eximium Patrem,* JOANNEM SCHWEITZER, *SS. Theol. Doct. & Ord. Eremit. S. Aug. ad Rhenum & Moſellam Provincialem.*

IGnoſcas Muſæ, Sacratæ Gloria Eremi,
Advolat ad Cellam ſi Peregrina tuam,
Heu! turbata Armis huc nunc illucque vagatur,
Parnaſſusque Sacer, quem colat omnis abeſt.
Nam Nemora & Valles (noſtræ Penetralia Muſæ)
Et Furor, & Clamor Martis atrocis habet.
Si Nemus haud placidum eſt, pateat Cæleſtis Eremus;
Muſa hanc (ſed nullâ Lege ligata) colat,
Libera Alauda amplo cum circinat Aëra gyro,
Dulcè canit: triſti at Carcere clauſa gemit.


Erro. Haud est Carcer, verùm Arca Salutis Eremus:
E quâ Mens Pennâ præpete ad Astra volat.
Si petis hanc Arcam, non te patiere ligari:
Integra Libertas sit volo, Musa, tibi.
Ut post Diluvium volites, fiasque Columba,
Pacificas Oleas quæ ferat, atque canat.
Tu verò, SCHWEITZERE, Decus, Luxque Orbis & Urbis,
Quam tam succenso Pectore Musa petit;
Ignoti Vatis Tu quæso, Vota secundes:
Atque exoptatâ fac Statione frui.
Non URBS rejiciet, Te proponente, Poëtam:
URBS, cujus Laudes concinet, atque Decus.

88. *Ad* D. GODEFRIDUM DE BERGES, & DD. *Hæredes Widenfeldenses, Bibliopolas Colonienses.*

FOntem quadruplici *Paradisi* Flumine Terram,
Divinus Codex fœtificâsse refert.
Nobilior Fons est, melioraque Flumina vestrum
Bibliopolium, mi GODEFRIDE, vomit.
Inde sacras Orbis Doctrinæ percipit Undas:
Et Christi sitiens inde rigatur Ager.
O mihi si liceat, vel Guttam his Fontibus unam
Addere! Quàm fieret dulcis, amara nimis!
Non solùm *Fons* est, Paradisi Flumina vincens:
Dicendum potiùs sed *Paradisus* erit.
Non Myrtus Veneri sacra, non hîc atra Cupressus:
Non hîc Hæreseos Planta nociva viret.
Sed castas Lauros, Fructusque, *Bonumque Malumque* *
Qui nos edoceant, hic Paradisus habet.
O mihi si liceat, vilem hîc plantare Myricam!
Quæque Myrica fuit, Palma superba foret.

* *Lignum Scientiæ Boni & Mali.* Gen. 2. 9.

FINIS LIBRI QVARTI.



CAROLI DESIDERII ROYERI
De Nommçeio,
SELECTORUM EPIGRAMMATUM
LIBER V.
JOCO-SERIA
COMPLECTENS.

---

1. *In Pictores & Poëtas.*

Ad Lentulum.

NUnquam credamus Pictoribus, atque Poëtis;
 Pingunt & Fingunt plurima, pauca probant.
Dum Pingunt, Fingunt: dum Fingunt, Lentule, Pingunt;
 Cunctos decipiunt *Ore, Colore*: Cave.

2. *In* Portum Regium, *Ianseniſtarum olim Receptaculum.*

Ad Ennium.

NOn eſt, quod Portus dicatur Regius, Enni:
 Naufragium potiùs Religionis is eſt.

3. *Quare Echo ſit generis fœminini?*

QUæris fœminei generis cur vana ſit Echo?
 In promptu cauſa eſt: Omnia Dicta refert.

4. *Aliud.*

4. *Aliud.*

ERrant, qui dicunt, quod nunquam viſa ſit Echo;
Cùm ſit vera Echo Fœmina quæque loquax.

5. *In* Bertam *Naſo rubentem.*

NUnquam BERTA rubet Naſo, niſi pota; Sed, inquit:
Ut parcam Minio, ſubrubra Vina bibo.

6. *In Eandem.*

ANſer *Berta* eſſet, modò Aquam velut Anſer amaret,
Garrulus eſt Anſer, Garrula *Berta* quoque eſt.
Berta rubet Naſo, & Roſtro rubet improbus Anſer.
Anſer Berta eſſet, dummodò amaret Aquam.

7. In Rufum.

LAudari deſire Tuos vis RUFE, Capillos:
Impoſiti collo qui ſine lege jacent.
Cûi Pilus annoſæ Vaccæ appareret amœnus:
Nonne Oculis Vituli præditus ille foret?

Idem Gallicè.

Contre un Rouſſeau.

BON Dieu, que ce Rouſſeau me faſche,
Qui veut, qu'on trouve ſon Poil beau;
Pour trouver beau un Poil de Vache,
Il faut avoir des yeux de Veau.

8. *Ad* Candidum *Juvenem, Conſpicilijs utentem.*

ABjice Phaſma Senum, Vitrum ſpeculare; Trilustri
An-Tibi-non Juveni Lumina clara micant?
Ah! non corporei perquire levamen Ocelli:
Sed pro Oculis cœcæ, *Candide*, Mentis eme.

Idem

Idem Gallicè.

A un jeune Homme, se servant de Lunettes avant le temps.

DIeu mercy vous avez les Yeux,
Encor assez bons sans Lunettes.
Mais priez, qu'on vous en achette
Pour l'Esprit: & vous ferez mieux.

9. *De Petro* Jardin *Parisijs suspenso.*

SUnt mutata loco Miracula: Pensilis Hortus
Urbe Parisiacâ est, qui Babylone fuit.

Idem Germanicè.

Von einem Peter Jardin, oder (Garten) genant/ welcher zu Paris auffgehenckt worden.

WEr sprechen thut/ (kein Warheit spart:)
Geändert ist all Wunder.
Der Babylonisch-hangend-Gart/
Ist zu Paris jetzunder.

10. *In Helluonem ad incitas redactum.*

INdulget Dapibus, Bona constabilita ligurit,
Epotat patrias Helluo turpis Opes.
Pannosus Thorax Nodo connectitur Uno:
Sed centum Nodos Nasus aduncus habet.

Idem Gallicè.

Contre un Débauché apauvris.

IL mange trop le Gros Glouton,
Il boit tout, ce qu'il a de Rente.
Son Pourpoint n'a plus qu'un Bouton,
Et son Nez en a plus de trente.

Idem Germanicè.

Wider einen verarmten Schlemmer.

Durch Gurgel/ durch Magen
Alles muß gejaget seyn.
Ein Knopff hafft noch Wamst und Kragen:
Viel Knöpff trägt die Nase dein.

11. *Doctores Nobilibus anteferendos.*

DOctor Nobilibus præeat; Lux una trecentos:
Unum Doctorem vix duo Lustra dabunt.

12. *In Poëtastrum pessimum.*

ASpiciens, JACOBE, Caput, dicenda tacebo;
Sed si cerno P*edes*: assero, Te esse Pecus.

Idem Gallicè.

Sur plusieurs Fautes, que quelque meschant Poëte a faites, dans les Pieds de ses Vers.

JE ne puis pas juger, Te voyant par la Tête:
Mais ie juge à Tes Pieds, *que Tu n'es qu'une Bête.*

13. *In Eundem.*

INsignis Prædo, Græcos simul atque Latinos
Turpiter expilas, despoliasque Libros.
Sed Citharam pulsas. Hanc frangeret æquus Apollo:
Si audiret minimum Musa diserta Sonum.
Intereà edoctus Puerorum in Classibus Alpha,
Parnassi Laurum Te meruisse putas.

Idem Gallicè.

Contre le même.

CE Pedant prend à toutes mains,
Il pille chez les Grecs, vole chez les Romains.

Mais

Mais de ſa Lyre ;
Je ne donnerois pas un clou.
Et cependant ce Mâitre Fou,
Se croit étre ſcavant, à cauſe qu'il ſcait lire.

Idem Germanicè.

Wider einen böſen Poeten.

Du weitberühmter Bücher-Dieb/
Der Griechen und Lateiner;
Auff deiner Leyr dich nicht mehr üb:
Apollo will nicht deiner.
Indeſſen meynſt / du habſt all Witz
Allein gantz auffgefreſſen:
Das in der Schuel geweßt dein Sitz/
Unds A. B. C. geleſen.

14. *In miſeram Cujusdam Orationem de Rege habitam.*

AD REGEM.

ELoquar, an Sileam, *Rex Regum Maxime*? Centum
Victrici Dextrâ Regna ſubacta tenes;
Immortale Tuum Nomen ſuper Æthera vexit
Gloria; Tu tamen hîc, O LODOICE, jaces.

Idem Germanice.

Wider einen böſen Redner / welcher eine ungereimte Lob-und Ehren-Red von dem König verfaßt.

Mächtigſter König dieſer Welt/
Viel höher biſt geſtiegen:
Als wo ſich Sonn und Mond auffhält:
Und muſt hier underliegen?

15. In

15. *In Malam Fœminam.*

FOemina grande Malum, si non vitabile: certè
Hæc Pestis multis immedicabilis est.

16. *Ad quendam Religiosum ex Ordine S. Francisci.*

A Secla Francisci, Fratres cur dicis Egenos?
Annon Vectigal nobile, *Pera Patrum est*?

Idem Germanicè.

An einen Franciscaner.

WArumb sprichst an allen Enden:
Ihr seyt Arm / und ohne Pack?
Seynd dann nicht die beste Renten/
In der Patrum Bettelsack?

17. *Religiosus ex Ordine Fratrum Minorum, Mulierem allocuturus Ignem cum Stupâ adfert.*

NObilis & Formâ præstanti clara, reclusum
In Claustro Monachum *Virgo* videre cupit.
Ille Facem Stupamque affert; dêin talia fatur:
Fœmina Fax ardens, Fumea Stupa Vir est.
Hæc si conveniant, Incendia fœda sequentur,
Præterquàm Cineres pollicitura nihil.
Et quamvis *Fratrum* vivam sub Lege *Minorum*:
Si Tecum fuero, Crede, redibo MINOR.

18. *In Mercatores.*

OLim Mercurium Fur Mercatorque colebant; *
Par Utriusque Deus, par Utriusque & Opus:

* *Iul. Cæsar Comment. l. 6.*

19. *In Concionatorem benè dicentem, ſed malè viventem.*

FRuſtrà Verba crepas, ſi non mox Facta ſequantur;
Os loquitur: ſed Cor, Peſque, Manuſque ſilent.

20. *Mandata Dei obſervari poſſe.*

Ad CORDULAM Acatholicam.

SErvari Mandata Dei non poſſe doceris;
Sextum ergò & *Nonum* Te violare putem?
Poſſibilis niſi ſit Sacræ Obſervatio Legis:
Non capies Sponſum, CORDULA, Virgo Tuum.

Idem Germanicè.

Daß man die Gebotten Gottes halten könne.
An eine Jungfrau.

DU wirſt gelehrt/ man könne nicht
Die Gebott Gottes halten.
Dein Jungfrauſchafft dann ſchon erligt:
Weil ſie nicht kan eralten.

21. *Aliud.*

AD CALVUM.

SI Tua non potuit Legem ſervare Genitrix;
Quis, quæſo Tuus eſt, dic mihi, CALVE Parens?

22. *Antiquam Fidem Germanicam perijſſe.*

UT Divina Fides Germanos deſijt inter:
Inter Eosdem Hominum deſijt eſſe Fides.

23. *Ad* Nævolum *Hominem arrogantem.*

VErtice criſtato Te Sidera tangere jactas;
Nempe Tuum tangit, NÆVOLE, Luna Caput.

24. In

24. *In* Quirinum *Concionatorem.*

DIceret ad Populum cum plausu sæpe QUIRINUS,
Si Tres efficerent, aut Quatuor Populum.

25. *In* Laram *Vetulam.*

PIngere Nemo potest, LARA, Te; Tua scilicet Ora
Cernere Nemo potest, cernere Nemo cupit.

26. *Augustana Confeßio, Confusio est.*

AUgustana placet minimè *Confessio* Nobis,
Quam *Confusio* mox tanta secuta fuit.

27. *Quænam Grammatices Regula in Convivijs maximè servetur?*

Ad LENTULUM, Grammatices Professorem in Germaniâ.

REgula Grammatices Convivis notior haud est
Illâ, quam exponis, LENTULE: *Plurima in os.* *

* *Ex Grammatica Alvaris.*

28. *In Senem Iuvenculæ nubentem.*

(Ipso Nuptiarum die ab Autore cantatum.)

SPectatum admissi risum teneatis Amici:
Vidi Seminecem Nubere manè Senem.
Sponsus prodibat bellatulus ille Sibyllæ
Jam Tritavus, Veteris Triptolemique Gener.
Sponsus! Gibbosus, proprij gerulusque Sepulchri;
Lumine, & insolito captus Amore Procus.
Blanditias tremulis Labijs finxisse notavi;
Et manibus canas composuisse Comas.
Conjugij firmanda Fides. Scabram ergò Puellæ
Vertice nutanti porrigit ille manum.

Sic Aurora Seni, Thitono florida nupsit;
Sic Orithyam Vir Borealis habet.
Decrepite infelix! Satis haud est ægra Senectus
Ad Mortem? Senio cur sociatur Amor?
Echo nonnè *Mori* repetit, cum nubis *Amori*?
Sternit Amor *Thalamum*, Mors *Tumulumque* parat.

29. *In Tumulum* P. ZIEGLERI *S. J. Cui Aschaffenburgi vivus inscripsit:* Nescio quando; *Cum tamen deinde Coloniæ obierit, ibidemq; sepultus sit.*

INscripsit Tumulo ZIEGLERUS: *Nescio quando*;
Debuerat potiùs scribere: *Nescio ubi.*

30. *Quatuor Mala Domûs.*

DIra Fames, Morbus, Fumus Mala Terna Domûs sunt:
Sed quartum ac Stygium, Fœmina acerba, Malum.

31. *In* ALANUM, *de Pœnis inferni inter Pocula jocari solitum.*

DE Pœnis Stygijs, dum potas, sæpe jocaris;
Sed cave, nè *Jocus* hic fiat, ALANE, *Focus.*

32. *In* SEXTUM, *de Nobilitate suâ nimiùm gloriantem.*

ORdine quid longo mihi Stemmata, SEXTE, recenses?
Quid jactas Atavos, quid Tritavosque sonas?
Antiquus Deus est: Proavos tamen haud habet ullos:
Nobilitas Proavis nempe carere potest.

33. *Tria Mala.*

INfidus Socius, Mala Fœmina, Falsus Amicus:
Sunt Mala Marmaricis deteriora Feris.

34. *In*

34. *In Calviniſtas per Marchionem de* SANCTO RUÆO *Converſos, aut Everſos,*
Anno 1685.

VErbi divini Præco: Tu qui ore diſerto,
Dogmata Calvini ſæpè agitare ſoles;
Sancti Auguſtini fruſtrà, Sanctivé Iſidori
Sacris è Cathedris aurea Scripta citas.
E cunctis Unum SANCTUM allegato RUÆUM;
Hic Auditores permovet Arte novâ.

Idem Gallicè.

Sur les Hugenots Convertis, ou déffaits par Mr. le Marquis DE SAINT Rû, Maréchal de Camp, à Nimes, le 14. Octobr. 1685.

GRands & Zelés Predicateurs,
Qui du fameux Calvin attaquez les Erreurs;
Vous preſchez à la viele Mode.
Pourquoy perdre vôtre Latin,
A citer Saint Gregoire, ou bien S. Auguſtin?
Ne citez que SAINT RU; c'eſt la bonne Methode.

35. *Aliud.*

CAlviniſtæ olim Sanctos in vota vocare,
Horumque auxilium poſcere Crimen erat.
Sancte Deus! Rerum quanta Immutatio facta eſt:
Nunc implorat opem, SANCTE RUÆE, Tuam.

Idem Gallicè.

Sur le méme Sujet.

JAdis les Hugenots n'invoquoient point les Saints,
Pour le Succes de leurs Deſſeins:

Mais on doit esperer leur retour à l'Eglise.
Grand Dieu, qui l'auroit jamais crû?
Aujourduy d'une Voix Soumise,
On les voit implorer le BON MONSIEUR SAINT RU.

36. *In Lutheranos Argentoratenses.*

ARgentinenses, REGIS Virtute subactos,
Nunc dicunt, *Triplicem* discruciare *Sonum.*
Æris Campani Sonitum, qui personat Æde:
Sumptibus immensis quam statuêre Patres.
Nec Sonus ille placet, quem reddunt *Tympana* centum:
Dum denso Plateas Agmine Miles obit.
At Sonus ille ante alios Aures & Corda flagellat,
Quem *Sacer* è Cathedrâ principe *Præco* tonat.

37. *Antidotum Melancholiæ.*

TRistitiam Teuto Potando, Canendoque Gallus,
Hispanus Flendo, Somno Italusque fugat.

Idem Germanicè.

DEr Teutsche/ mit dem Gläselein:
Der Frantzoß/ mit eim Liedelein:
Der Spannier mit Weinen/
Mit heulen/ und mit Kreinen.
Der Italus mit Schnarchen:
Und andere mit Lachen/
Ihn kurtze Stund thun machen.

38. *In Ambitiosum.*

DEsit Scena frequens Tibi, consertumque Theatrum:
Frigidè ages partes, *Ambitiose,* Tuas.

39. *Ad*

39. *Ad* QUINTUM, *Avarum Multiloqvum.*

CUr Tua tam raros fundunt Marſupia Nummos:
Oreque multiloquo plurima Verba fluunt?
Da Verba, ut Nummos: Os ut Marſupia pande;
Hoc ſi præſtiteris, QUINTE, beatus eris.

40. *Ad* BLANCAM, *Formoſam, ſed Stupidam.*

PUlchra ſinè ingenio, quis Te maleſanus adoret?
Quis Pecori, ut Pharius, Thura ſacrata litet?
Surget Amans amens, qui ſacras conſtruet Aras
Formæ, BLANCA, Tuæ: Donaque mille feret.
At miſerum Idolum, Cultorque miſerrimus; illud
Laudo: *malus* quod non *Spiritus* Oſſa tenet.

Idem Gallicè.

A une Beauté Stupide.

BElle ſans eſprit, ny maintien,
Qui Te figure, qu'on adore;
Me crois Tu donç Egiptien,
Pour adorer une Pecore?
Il eſt bien vray, qu'un Hebeté
Peut idolatrer Ta Beauté:
Puis qu'elle eſt une vraye Idole.
Mais le Bien, que i'y reconnois,
(Si Tu veus, que ie Te cajole:)
C'eſt que l'Eſprit malin n'habite point dans Toy.

41. *In Eandem.*

COrpus mente carens: Animal, cûi grata Venuſtas;
In pulchrâ Caveâ Noctua fœda Sedens.

Deformem in pulchro remorari Corpore Mentem
Haud decet; Infernas incolat illa Domos.
Cur Marmor non es? Fieres pulcherrima Imago:
Archetypus cùm ſis turpis, ineptus, egens.

Idem Gallicè.

A la méme.

BEau Corps mal animé, trop aimable Animal:
Dont l'Ame eſt une Buſe en une belle Cage;
Si Tu n'as point d'Eſprit, une Ame Te ſied mal.
Que n'es Tu fait de Marbre, avec un Pied d'Eſtal:
Tu ſerois une belle Image:
Qui n'es qu'un ſot Original.

42. *In* POLYÆMUM, *Dominum per-avarum.*

QUò major *Dominatio* fit, *Donatio* ſæpe
Fit minor: es talis *Do*-POLYÆME-*minus.*

43. *In* CAMERINUM, *Concionatorem peſſimum.*

CUm Cathedram inſcendis, Populus, CAMERINE, movetur:
Scilicet è Templo dum fugit absque morâ.

44. *Fœmina Secretum ſervare nequit.*

FOemina non ſervat Secreta, ſed omnia pandit;
Nè computreſcant forſan in Ore timet.

45. *Quarè Germani non ampliùs habeant Reges.*

DIvinæ Leges prohibebant Regibus olim,
Nè deguſtarent Pocula plena Mero. *
Amplexus Chriſti Germanus Dogmata: Regum
Nomina commutat, *Cæſareosque* vocat.

Nam

Nam ſi Teutonibus vetita eſſet Potio Vini:
Nunc ſine Lege forent, & ſine Rege vagi.
* *Noli Regibus dare Vinum.* Prov. 31.

46. In quorundam Ratisponenſium Compotationes nimis frequentes.

MIlle Ratisponæ jam potavêre Salutes:
Nec tamen Europæ conſtitit Una *Salus*.

47. In Fœminam rixoſam ſubmerſam.

LAbitur in flumen Mulier rixoſa profundum:
Et mox in medijs contumulatur aquis.
Accurrit Conjux, ad Fata ter jo! reclamans:
Quærit & Uxorem, quam tumida Unda tenet.
Quærens, *Aſcendit* ſpumoſâ Fluminis Orâ;
Sed quid? Num contrà Flumina Corpus ijt?
Fortaſſis contrà Torrentem Mortua nixa eſt:
Contrà Torrentem tendere Viva ſolens.

48. In Miniſtrum Acatholicum.

MINISTER. Anagr. MENTIRIS.

INſunt vanidico Mendacia pura MINISTRO:
Mendacem nimiùm Vox variata probat.

49. Quid ſit Podagra.

QUid Podagra eſt? Succus, quem Pomo expreſſit Adamus;
Succus, qui in Plantas depluit, inque Manus.
Eſt Podagra inſano Valetudo referta dolore:
Fellea Bilis & eſt *Filia*: Gutta Stygis.

50. In Meretricem Surdam.

AD QUINTUM MEDICUM.

FRuſtrà Surdæ Auri Meretricis, QUINTE, mederis:
Nunquam, quidquid agas, *audiet* illa *bene*.

51. *In Divitem, ſed malam Fœminam.*

UXor dives, Onus grave, lugendumque Mariti eſt;
Utilis eſt ſolùm Mortua: Viva nocet.

52. *In Medicos.*

OCcidit Latro, tantùm furetur ut Aurum;
Ut, *Medice*, Occidas: Aurea Dona capis.

53. *In Sacerdotes.*

LIgnei erant Calices, ſed Presbyter Aureus olim;
Ligneus hic nunc eſt; Aureus eſtque Calix.

54. *In Malas Fœminas.*

FOemina quæque Mala eſt; binis tamen illa Diebus
Eſt Bona; cum Thalamus, cum Tumulusque patet.

55. *In* PLANCUM, *Iuvenem Vitioſum.*

ANteit ætatem Vitijs; nondum probè Adultus:
Et jam cum probro PLANCUS Adulter erat.

56. *Ad Quendam, qui pluchrum Uxorem ſtudiosè quærebat.*

UXor erit formoſa Tibi ſex Menſibus; At poſt
Pulchra erit illa Alijs, quæ Tibi Turpis erit.

57. *Ad quendam Ruſticum.*

QUotidiè * Panes lucreris quatuor: Unum
Accipe: Redde Unum: Mutuò daque Duos.
Primus ſit pro Te: ſed ſit pro Patre Secundus;
Prolibus at reliquos, *Ruſtice*, crede Tuis.

* *Hanc Quantit. obſervat Bapt. Mant. cum multis Alijs.*

58. *Vinum*

58. *Vinum Aqua diluendum.*

AD AMICUM.

TUnc Vinum perdis, si Vinum diluis Undâ:
Te perdis, si non diluis illud Aquâ.

59. *In quarundam Nationum Idiomata.*

HIspanus Numen: Dominas *Italusq;* loquelâ
Delectant: Hostes *Teuto* fugatque suâ.

60. *Vexat Censura Columbas.*

FUr omnis capitur, Magnus Parvusque; Minores
Ferrea: Majores Aurea Vincla tenent.

61. *Tria Senum Privilegia.*

HOc Natura Senes dotavit Munere terno:
Ut *Videant, Valeant,* plus *Jubeantque* alijs.
Plus *Cernunt* alijs: nam si quæ Lumine casso
Conspiciunt: mox hæc conduplicata vident.
Plus *Possunt* alijs: nam sæpè equitare volentes,
Sella cadit, segni pondere mota loco.
Plusque *Jubent* alijs: nam qui parere tenetur,
Unum vix inter Jussa trecenta facit.

62. *A Quibus cavendum.*

AD PONTILIANUM.

A Rufis Italis, Hispanis semper & albis,
Germanisque nigris, PONTILIANE, cave.

63. *In* NESTOREM, *Dominum peravarum: contrà quem Famuli ob Vinum nimis largè dilutum murmurare solebant.*

QUando Molendinum streperi sistetur Ephebi?
Tunc cum cessabis fundere, NESTOR, Aquam.

64. *Fœmina Morti Similis.*

EST Morti ſimilis Mulier: fugit illa ſequentem:
Sed fugientem, ad ſe præſtigioſa rapit.

65. *Quænam Merces non emendæ.*

FOemina non juvenis, rutilus nec Pannus ematur:
Emptorem hæ Merces fallere ſæpè ſolent.

66. *Luxuria Paupertatis Mater.*

AD CANDIDUM.

SEmper erit, (res nota ſatis,) Tibi *Curta Supellex*:
Si Tibi ſit *Pellex*, CANDIDE, *Culta* Domi.

67. *Contrà Caupones Aquam Vino miſcentes.*

OMne tulit punctum, qui miſcuit Utile Dulci:
Lucro Caupones id didicêre ſuo.

68. *In* BENNONEM, *qui defunctâ Uxore, aliam quærebat.*

DEfuncta eſt Uxor; Cur quæris, BENNO, Secundam?
Vis miſer in rabido bis natitare Freto?

69. *In Domum Auream & Verſatilem Neronis.*

AUrea cùm quondam claudebant Tecta Neronem:
Aurea tunc Domus, at Ferreus Hoſpes erat.

70. *In celeberrimam Turrim Eccleſiæ Cathedralis Argentinenſis.*

AD REGEM.

SI Magnum Gallum poſcebat Maxima Turris;
An major Gallus Te, LODOICE, fuit?

71. *Ad quendam Poëtam Gibboſum.*

FErs humeris duplicem Gibbum, Venerande Poëta;
Fortè humeris Muſas, & Helicona geris.

72. *In Anglos Rebelles.*

ANgle, time: quondam Te Fœmina Gallica vicit; *
Quid, si in Te sumant Arma probata Viri?

* *Virgo Aurelianensis.*

73. *Cornelius Jansenius.* Anagramma:
Calvini Sensus in Ore.

DOgma Augustini jactat Jansenius Ore:
Verùm *Calvini Sensus in Ore* latet.

74. *Jansenius.* Anagr. *Es in Vanis.*

ES, crede, *in Vanis*, JANSENI, perfide DOCTOR;
Illud disparens sat Tua Secta probat.

75. *Jansenius.* Anagr. aliud: *En Asinus.*

JAnsenius differt ab Asellis Unico Iöta;
Si par in reliquis: nonnè is Asellus erit?

Idem Gallicè.

Sur l'I, qui reste dans l'Anagramme: *En Asinus,*
Tiré du Nom de *Jansenius.*

VOus me dites, mon bon Ami,
Qu'apres tout il me reste un I:
Pensez vous oposer une bonne défence?
Mais au moins demeurons en la:
Que tout au plus un Iöta,
De cet Homme, & d'un Asne a fait la difference.

76. *Tria Optima.*

ANtiquum Vinum, Nummi Veteres & Amici:
Sunt Tria, quæ pretio sunt adamata suo.

Idem

Idem Germanicè.

Alte Freund/ alt Wein/ alt Gelt/
Führen den Preiß in der Welt.

77. *Ubique videmur, audimurque.*

AD PLANCUM.

SUnt Aures Sylvis, Campis Oculique frequentes:
Et Tibi, PLANCE, foris cuncta licere putas?

78. *De Pisce artificiosissime sculpto.*

ARtis Phidiacæ præclarum cerne Toreuma,
Piscem: Sola illi, quâ natet Unda, deest.

79. *De primo* CHRISTI *Miraculo in Canâ Gal.*

MUtatam in Vinum Germanus inaudijt Undam:
Talem, ait, *O utinam Rhenus haberet Aquam!*

80. *In Moriam Erasmi.*

LAudes Stultorum non solus scripsit Erasmus;
Nam Vates multis has cecinêre Libris.

81. *In* OLYNTHUM, *Hypocritam.*

VIs dici Christi verus Sectator, OLYNTHE:
Cum facienda fugis, cum fugienda facis.
Quæ fugis, hæc facias: fugias & quæ facis; & tunc
Sectator Christi jure vocandus eris.

82. *In illos, qui Pulvere Cyprio non tantùm Comam, sed & Vestes dealbant.*

CAndida, quæ video, sunt omnia: Candida Vestis,
Candida Pallia sunt, Candida ubique Coma est.
Candida Cunctorum Frons, Gallia Candida tota;
Multum Candoris cerno, parùm Fidei.

83. In

83. *In Causidicos & Medicos.*

CAusidico & Medico nunquam benè dicitur esse:
Nî malè sit multis Vulnere, Lite Viris.

84. *Tria mutant Mores, sed raro in meliores.*

IN Mundo Tria sunt Hominum mutantia mores:
Fœmina pulchra nimis, Vinum, & inanis Honor.

85. *Ars cuilibet placendi.*

AD PINDARUM.

DEbita solve: Tace: Vel paucis Vera Loquare:
Hæc si præstiteris, PINDARE, Gratus eris.

Idem Germanicè.

Kunst/ einem jeden zu gefallen.

ES ist auff Erden kein besser List/
Als wann man der Zung Meister ist.
Viel wissen/und wenig darvon sagen/
Nicht antworten auff alle Fragen.
Red wenig/ und mach es wahr/
Kauff wenig ein/ bezahl es bahr;
Laß einen jeden/ wer er ist/
So bleibst du auch der/ wer du bist.

86. *In quendam Missionarium, Auri æquè ac Animarum sitientem.*

SOlis ab Occasu longinquum Solis ad Ortum,
Se extendit Zeli plurima Flamma tui.
Cum Christi Legem fers, *Omnibus Omnia factus*;
Quidam dixerunt: *Omnia facta Tibi.*

Idem Gallicè.

Contre un Missionaire Interessé.

SA sainte Ambition, & son Zele s'étend
Du bout de l'Orient, au bout de l'Occident;

Et

Et dans tous les Climats, que le Soleil éclaire,
Se faisant Tout à Tous, de Tout fait son affaire.

87. Ad Rever. plurimùm, & Perillustr. Dominum,
D. JACOBUM DUPRAT, *Per Saræ Provinciam antehàc Vicarium Generalem,*

(Cantatum Anno 1689 Festo SS. Phil. & Iacobi.)

GLoria magna fuit, DEIECTIO sæpè JACOBIS;
Sors ita JACOBOS ludificare solet.
Dum de præcelso JACOBUS Culmine Templi
Dejicitur: properis Passibus Astra petit.
Anglorum Regem JACOBUM *dejicit* Hostis
Perfidus? At reddet Sceptra Thronumque Deus.
Scis, quid Musa velit; *Sapienti pauca*, JACOBE.
Virtus si premitur, non tamen opprimitur.

88. Ad A. R. D. MOLITOREM, Pastorem & Decanum ad S. Wendelinum.

E*St Mola lenta Dijs*, ut trita Parœmia fatur;
At non, mi MOLITOR, sit Mola lenta Tibi.
Non Iras, Lites, non quidquid Mentis Amaror
Offensæ dictat: Sed Benefacta mole.
Mellite ô MOLITOR, Mollis molire, molasque:
Haud Mola, crede, mali sic MOLITORIS erit.

89. Ad A. R. D. CLAUD. THOUVENOT, Pastorem Erneshemianum, Diœcesis Wormatiensis.

PAuperis Ernshemij PASTOR Ditissime PASTOR?
Antistes potiùs, *Præsul*, & *Hospes* iens.
Hospes iens; Nam post binos ternosvé Decembres,
Mars & Vulcanus cedere Sede jubent.

Bacchus

Bacchus & alma Ceres properè comitantur euntem:
Lucina, & ſi qui Dîjque Deæque favent.
Conſtiterunt Montes, flêrunt Rhodopëiæ & Arces,
Altàque Pangæa, & Rhenus, & Hebrus iners.
Actias at contrà, Te Diſcedente, canebat
Orithya: Undas quæ, Veniente, dedit.
Sed quid? Combuſtæ vis eſſe Vicarius Urbis? *(a)*
Ernshemij Magnus qui modò Præsul eras? *(b)*
Ecquid enim? Tumidum quà vult, ſine currere Rhenum;
Nam Sara navigeras jam Tibi ſubdit Aquas. *(c)*
Aptiùs hîc dices, quàm *Poma Superba*: Natamus:
Piſciculique canent, *Io*! *ter Io*! Tibi.

(a) *Vicarius Generalis VVormat.* (b) Prælatus *compellabatur.* (c) Sar-Lodoicum; *quò etiam cogitavit.*

90. *In EUNUCHUM, contaminatæ Famæ Hominem, qui Ædibus ſuis inſcripſerat:* Μηδὲν εἰσείτω κακὸν *i.e. Ne quid ingrediatur Mali*

SI quæ ſtruxiſti pario de Marmore Tecta,
Audeat, ut ſcribis, *Nemo ſubire Malus.*
Væ Tibi: nam nunquam tua Tecta, Eunuche, ſubibis;
Eſt Tibi præ reliquis Janua clauſa Domûs.

91. *In quendam inſignem Potatorem, ſed rarò Ebrium.*

M*Ulta quidem poto, ſed non ſio Ebrius*, inquis;
Sic potare ſolent Bos, & Aſellus iners.

92. * *Ad* D. J. A. SCUPEL, *Chalcographum.* Scupel. *Anagram.* Sculpe.

ARtem Sculpendi nullo didiciſſe Magiſtro:
Adame, haud in Te Laus mediocris erit.
Scilicet hanc Natura dedit; Vix Nomen adeptus
Scupelii: Muſæ Sculpere jamque jubent:

92. *Quâ horâ prandendum cœnandumque.*
AD LUCRETIUM.

SI *Dives*, cum vis, Prande Cœnáque, LUCRETI:
At si sis *Pauper*, Vescere quando potes.

93. *In* Chærilum, *Divitem indoctum*,
χρυσόμηλον.

DIvitijs, non Ingenio, dum, CHÆRILE, fulges:
Aurati tandem Velleris Agnus eris.

94. *In* Pherecydem *Prodigum*.

MAgna fuit sanè PHERECYDIS Crapula: quando
Evomuit Villas, evomuitque Domos.

95. *In malas Fœminas.*
Μισογυνής.

QUorundam Uxores (Animalia pessima) quondam,
Suspensas cernens ex Oleâ CYNICUS;
Ingemit, atque alto suspirans pectore: *Fructus
Cur similes Arbor non habet omnis?* ait.

96. *In illud Gen. 4. v. 21.*

Jubal ipse fuit Pater canentium Citharâ
& Organo.

CUr Homo suavisonâ commotus *Jubilat* Odâ?
Nimirùm primus Cantor JUBAL erât.

97. *Epistolare Negotium quàm molestum sit.*

SCribere Literulas, scriptasque revolvere, Res est
Unica, quæ Regi tam gravis esse solet:
Hanc ut qui nôsset, Sceptrum & Diadema, Seleuco
Judice, projectum tollere nollet humi.
Non Rex, non Princeps ego sum; Sed Epistola quantùm
Plurima me cruciet, dicere Musa potest.

98. AD

98. AD HECTOREM,
de quâdam Picturâ conquerentem.

HECTOR, Equum vis se Voluentem in Imagine pingi;
Verùm Currentem picta Tabella refert.
Desine Conviciis Pictorem onerare trecentis;
Verte: Volutantem seque videbis Equum.

99. *In Librum P. ***

MUltum Artis, Martisque parum, (fucata Tabella est:)
At nihil hic Codex Utilitatis habet.

100. *Poëta de suo Studio.*

AD PATROCLUM.

AUroram Musis reliquis, ais, esse faventem;
At certè Musæ Nox favet Una meæ.
Quando dies oritur, Nox Pindum contegit atra;
Nox terram obvolvat, Lux micat alma mihi.
Antipodum si Sorte fruor, de nocte studendo:
Discurrendo die, dispare Sorte premor.
Cum vigilant, vigilo utiliter: cum languida Somno
Membra levant, Vigilem Cura Laborque tenent.
Sic semper vigilo; Vigilo de luce Labori;
Dum Nox est, Studiis invigiloque meis.
Quis mihi Curarum Molem de Vertice tollat,
Vivere quò possim, ut vivere suevit Homo!
Quis mihi det potiùs, solis vigilare Camœnis!
Cœlica tunc Vati, PATROCLE, Vita foret.

101. *In PANTICAPAEUM Versifurem.*

QUid mea, mutatis paucis, tua Carmina dicis?
Quæ mea, linque mihi: quæ tua, sume tibi.

Peſſime Fur, Latro Crucibus figende trecentis,
Carmina qui nobis fermè trecenta rapis.
Demere de Verſu, paucis variareque Verſum,
Non minuit Furtum, PANTICAPÆE, tuum.
Sic Fur mutatis Anſis, ſua Pocula dicit:
Vendere ſic ſectis Auribus audet Equum.

102. *Quid Conjugium tranquillum efficere poſſit.*

SI Vir ſit Surdus, ſi verò Cœca ſit Uxor:
Conjugii ſtabilis Pax erit, atque Quies.

103. AD REGEM,

ab Importunis Poſtulatoribus obſeſſum.

Conditio potior ſæpe eſt famulantis Aſelli,
Quàm tua, quem ſemper Turba moleſta premit.
Parcit Herus paſcenti Aſino. REX MAXIME, prandes?
Et Tibi prandenti parcere Nemo cupit.

104. *Amoris Antidotum.*

TEſte Cratete, Triplex Medicina paratur Amori;
Dira *Fames*, *Tempus*, Mors *Laqueique* brevis.
Namque *Fames* Luxum, Flammamque Cupidinis arcet,
Mitigat hanc *Tempus*, terminat at *Laqueus*.

105. *Dictum AEſopi.*

PEra duplex nobis; Una ante, Secundaque poſt nos:
Prima *Aliena* gerit, *Noſtra* Secunda tegit.

106. *Hoſpitii Leges.*

AD ANONYMUM.

FRigentem exprobras Menſam, triſtemque Culinam;
Dum me inviſurus ſæpiùs Hoſpes adeſt.
Si Bonus eſt Hoſpes: Satis hùic ſunt Fercula pauca;
Si Malus eſt: Illi plus ſatis appoſui.

107. *Ad Amicum Autoris Præconem.*

QUalis Ego non ſum, non quis ſum, dicis, AMICE;
Qualis deberem Moribus eſſe, notas.
Immerito nunquam Mihi Laus indebita detur;
Ludere me potiùs, quàm recreare ſolet.

108. Ad A. R. P. IOANNEM SERVAS,
Monaſterij VValderſingenſis, Ord. Erem. S. Aug. Priorem.

OPtime SERUATI, multùm Servire valebis,
Et Servo, & Muſis, Marte ſtrepente, Vagis.
Fac Urbem obtineant, quam ſcis ambire Camœnas:
Quæque Urbes Orbis vincere ſola ſolet.
Non ego Te *Servum*, SERVATI, Gloria Eremi:
Sed *Servatorem* tunc vocitabo meum.
Pro tali Officio, (Turpis Simonia non eſt:)
Mille *Libros* Clauſtro, Mille *Libraſque* dabo.

109. Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει.
Ad Muſam.

SI *quævis Tellus alit artem,* MUSA, quid inſtas?
Et Te quiſpiam adhuc Angulus Orbis alet.

110. *In Anonymum (quem THEOPOMPUM vocare libet,) qui apud Plutarchum in Laco. jactabat, ſe diu uni Pedi inſiſtere poſſe.*

Poſſe diu, jactas, Uni Te inſiſtere Plantæ;
Longius aſt Anſer Te, THEOPOMPE, poteſt.

111. *In SOSTRATUM Concionatorem, Qui docuerat, Primævos Parentes, Pomum ab Arbore Vitæ decerptum comediſſe; Lignum Vitæ cum Ligno Scientiæ Boni & Mali confundens, uti liquet* Gen. 2.

NOn Arbor Vitæ, ſed Mortis dicitur Arbor:
Quæ Natis Mortem conciliavit Adæ.

Crux Arbor Vitæ ſola eſt, quâ perdita Mors eſt;
Et Vitam Natis quæ reparavit Adæ.
At cave, nè Lignum pro Ligno, SOSTRATE, ſumas;
Nè ſic Scripturæ Tu videare rudis.

112. *Ad Amicum, Podagrâ laborantem.*

DUm Podagrâ afficeris, tunc ſanè maximo honore
Afficeris; Solos Illa tenet Dominos.
Morte etiam verâ vix æternáque peribis:
Si Te Mors Podagræ quotidiana necat.
Vis *Dominus* vivens, & mortuus eſſe *Beatus*?
Te vexent Podagræ dilacerentque Mala.

113. *In quendam Sacerdotem, Corpore Moribusque deformem.*

COrporis incultus Formâ Morumque *Sacerdos*:
Verſo Delta, *Sacer-bos* vocitandus erit.

114. *Periculum Navigantium.*
AD PONTILIANUM.

SE credens Pelago, Digitis tribus atque quaternis
Diſtat ab Interitu, PONTILIANE, ſuo.

115. *In quorundam Principum Extorſiones immodicas.*

HArpyas Stygias Volucres, Stymphalia Monſtra,
Dicunt Arcadicos olim habitâſſe Lacus.
Deſeruêre *Lacum* Genus hoc crudele Ferarum,
Et quemvis Terræ nunc rapuêre *Locum.*
Sæpiùs Harpyæ Subſellia prima, Tiaras:
Sæpiùs Harpyæ Sceptra Thronosque tenent.

116. SPIRA. *Anagramma.* PARIS.

SPIRA PARIS olim fuerat, Diveſque, Potensque;
Verte: PARIS fiet SPIRA moderna, CINIS.

117. Quisnam

117. *Quisnam Optimus Piscis.*

OPrimus est Piscis SALPA; ut satiatus es illo:
Sæpè tamen Salpâ * Mensa repleta manet.

* *Salpa inter Germanos significat Hominem Ignavum & Stupidum.*

118. *Mendaci quando credatur.*

STultum Prudentem, Fœdam vocitato Decoram;
Omnis *Mendaci* tunc Tibi credet Homo.

119. *In Concionatores & Quæstores.*

Quæ dicit, non Præco facit; rarò Acta sequuntur.
Non dicit Quæstor, quæ malefidus agit.

120. *Poëta de Seipso.*

SUm Franciscano similis, cum paupere pauper;
Non Carnem potat: Nec mihi Vina Cibus.
Dissimilis sed in hoc: dum surgit tempore Noctis:
Tunc modò committo languida Membra Thoro.

Idem Germanicè.

JCh bin den Barfüßern gleich;
Sie seynd arm / vnd ich nicht reich.
Sie trincken kein Fleisch / ich eße kein Wein:
Wie könnt ich ihnen dann gleicher seyn?
Aber in einem seynd sie mir Zuwider;
Wan sie auffstehn / so leg ich mich erst nider.

121. *In Suspensos è Patibulo.*

OMnia sunt hominum tenui pendentia Filo;
Excipe SUSPENSOS, quos bona Chorda ligat.

122. *In Rufum falsos Capillos gestantem.*

RUFE, Capillitium gestas in Vertice Falsum;
O utinam Cor, & Os non Tibi Falsa forent!

123. *In Germanos.*

FOecundi Calices faciunt si quemque Disertum;
Certè Germanus quisque Disertus erit.

124. *In* PONTIUM *Cornigerum.*

UXor Te non casta facit ditescere, PONTI;
Hinc Tibi sic CORNU-COPIA semper erit.

125. *Ad* VARRUM *Hortulanum.*

OPtima *Mala* Tibi pinqui fert *Malus* in Horto;
Uxor sed *Mala* fert pessima, VARRE, Tibi.

126. *In* LÆVIAM, *Fœminam Parcissimam.*

OLim Tres Parcas, Maro dixit, in Orbe fuisse;
LÆVIA, Te cernens, Quatuor esse puto.

127. *Quomodò Milites Rusticos Sanctificent.*
AD ABELLUM.

QUando venit Miles, ferventer Rusticus Orat;
Miles si remanet, Festa Dies agitur.
Quando abit, observat quævis Jejunia sanctè;
Annon sic Sanctos Miles, ABELLE, facit?

128. *In Causidicos.*

CHymicus ex Auro Nihilum producere suevit;
Aurum de Nihilo Causidicusque facit.

129. AD HELUM,
Cujus Uxor, LUNA dicta, quotidie inebriabatur.

MEnse semel Plena est in Cœlo Luna corusco;
Quotidiè inq; Domo *Plena*, HELE, *LUNA* tua est.

IN EUPATOREM,
130. *Autoris Hospitem.*

VIvo Domi vestræ, Cœlo velut, EUPATOR, ipso;
Potus ubi non est; ulla nec Esca Diis.

131. In

131. *In* BLONDUM, *de Alieno Capillatum.*

DIcere vix licitum est, Alienos ferre Capillos
BLONDUM: quos Emptos asserit Ære suo.

Idem Germanicè.

Wider einen Parucken-träger.

Monsieur in Franckreich hat sein vorigs Haar verlohrẽ:
An deßen statt er ihm ein falsch Paruck erkohren;
Er sagt bey seinem Eyd / es sey sein eigen Haar:
Er habs mit gutem Gelt vnlängst bezahlet bahr.

132. *In quendam Professorem Juris.*

DEbita si solvas, Hominique Deoque Suum des;
Tunc benè dices: Dant Jura Cuique Suum.

133. *Quomodò* DAME, & DAMA *differant.*

DAME & DAMAM inter Discrimen cernitur illud:
Cornua DAMA gerit, Cornua DAMque facit.

Idem Germanicè.

Vnterscheyd zwischen Dame vnd Dama.

WAs Dame sey / vnd dann was Dama / wird verspüret:
Daß jene Hörner macht / vnd diese Hörner führet.

134. Mundus *cujus Generis.*

AD PROBUM.

FOemina Teutonibus *, Mas est Mundúsque Latinis.
Communis Generis sic, PROBE, Mundus erit.

* Die Welt.

Idem Germanicè.

Auff teutsch ist Welt ein Weib / Lateinisch ist sie Mann;
Drumb siht man / wie jetzt Mann / jetzt Weib ihr buhlen kan.

135. *In Statuam Nabuchodonosoris.*

AD AMANDUM.

AUreum erat Statuæ Caput, & Pes Testeus altæ;
Testea nunc Capita: Ast Aurei, AMANDE, Pedes.

136. *Mundus Inversus.*

EHeu in Mundo quanta Immutatio nunc est!
Jam Caput in Pedis est, Pes Capitisque loco.

Idem Germanicè.

Die Umgekehrte Weldt.

DJe Höchste in der Welt haben nun abgenommen;
Dann Füße seynd zum Haupt/und Haupt zun Füßen komen.

137. *In Iconoclastas.*

MOrtua Sanctarum cur non toleratur Imago:
Pulchrarum quando Viva Figura placet?
Vel maneat Templis Sancti Sanctæque Tabella:
Vel maneat Pulcher, Pulchraque clausa Domi.

Idem Germanicè.

Wider etliche Uncatholische/

Welche die H. Bilder in den Kirchē nicht dulden wollē.

Wo Bilder in der Kirch ein Ergernuß gebähren:
So muß mann Kirchen gehn auch schönen Weiber wehren.

138. *Fœmina Variabilis.*

AD MERCURIANUM.

FOemina si Verbis, Caudâ si Anguilla tenetur:
Nil tamen in manibus, MERCURIANE, manet.

Idem

Idem Germanicè.

Was von Weiber versprechen zuhalten.

Wer einen Aal beym Schwantz/ vnd Weiber fast bey worten/
Wie fest derselb gleich hält/ hält nichts an beyden Orten.

139. DICITUR *Fœminarum.*

FOeminex Rixæ clauduntur DICITUR Uno.
Dicitur hæc Saga, & dicitur illa Sagax.
Dicitur hæc Dives, Pauper sed dicitur illa:
Dicitur hæc Meretrix, dicitur illa Pia.
Dicitur hoc dictum, dictum vel ab hâc, vel ab illâ;
Fœmina DICAX est, prætereáque Nihil.

Idem Germanicè.

Weiber-Sagen.

WEiber-Händel/die wie bräuchlich/vnder ihnen stets entstehn/
Pflegē endlich auf ein Sagen/ vnd auf nichts mehr außzugehn.
Jene sagte dieses neulich/ vnd es sagte jenes die/
Dieses hat sie nicht gesaget / jene sagte solches nie.
Eine sagte / das da sagte diese / jene sagte das:
Nein sie sagte / das sie sagte dieses nicht / nur sonsten was.
O ich weiß wohl / was sie sagte / will es / sagt sie / sagen nicht:
Was sie sagte / will ich sagen / das die sagte / frey ans licht.
Ey sie sage / was ich sagte / ehe ich sagte / sagt sie vor:
Sagt nur / das sie solle sagen / was sie mir sagt in ein Ohr.
Dieses Sagen will nun währen/ weil das Leder wahrt umbs Maul:
Dann zum Sagen/ vnd zum Plaudern seynd die Weiber selten faul.

140. *Ministrorum Hæreditas.*

QVando Calvini moritur de Gente Minister:
Liberi, eruntque Libri: prætereáque nihil.

Idem Germanicè.

Was die Prædicanten nach ihrem Todt hinderlaßen.

WWann Ministri sterben / Was hat man zu erben?
Viel Bücher / viel Kinder; Gar selten viel Rinder.

141. *In Vetulas.*

EST Vetula antiquo meritò aſſimilanda Roſeto;
Si cecidére Roſæ: plurima Spina manet.

Idem Germanicè.

Wider die Alte Weiber.

Alte Weiber seynd die Sträuche/ drauff vorzeyten Rosen stunden;
Ob die Rosen seynd gefallen/ werden doch die Dörner funden.

142. *Definitio Bibliothecæ.*

Bibliotheca quid eſt? Eſt Bibliotheca Sepulchrum:
Mortui ubi fantur, quod fuit, & quod erit.

Idem Germanicè.

Was eine Bibliothec sey.

Diese ist ein Todten-Grab/ deßen Todten reden kūnnen:
Sagen das/ was weit hindan: zeigen das/ was noch von hinnen;

143. *Unde Parentes & Domini dignoſcantur.*

ET Pater ex Natis, & Ventis noſcitur Aura:
Aſt Herus ex Famulis noſcitur ipſe ſuis.

Idem Germanicè.

Das Wetter kennt man beym Wind:
Den Vatter bey seym Kind:
Den Herren aber bey seym Gesind.

144. *Naturam expellas furcâ tamen usque redibit.*

SEdibus auratis fluvialis Rana locetur:
Ex his in Cœnum mox redit illa ſuum.

Idem Germanicè.

Der Frosch hupfft wider in den Pful/
Wann er auch saß auffm gülden Stul.

145. *Aliud.*

COntegat Auritum licet Aurea Vestis Asellum;
Eriget Auriculas Bestia lenta suas.

Idem Germanicè.

OB nun gleich ein güldnes Tuch kan den Esel decken /
Siht mann ihn doch immerzu noch die Ohren recken.

146. *Duplex ad Alta Gradus.*

SI Cerebro Prudens, si sis Faciéque Decorus:
Hoc duplici scandes Tu brevì ad Alta Gradu.

Idem Germanicè.

Auff was weiß man Hoch ankommen könne.

Klug am Hirn / Schön am Stirn:
Bringt den Mann / Hoch hinan.

147. *In quo consistat Vera Nobilitas.*

NObilitas quem nobilitat, non Nobilis ille:
Sed qui hanc nobilitat, Nobilis ille Vir est.

Idem Germanicè.

Worinn der wahre Adel bestehe.

WEr seinen Adel adelt / ist adelich geadelt:
Den nur sein Adel adelt / wird adelich getadelt.

148. *De Sinceritate Germanicâ.*

AD PONTILIANUM.

QUid prodest Os Teutonicum præferre Loquelâ:
Si Mens Græca Tibi, PONTILIANE, sedet?

Idem Germanicè.

Teutscher Mund / teutscher Grund.

WAs hilffts / das teutscher Mund das teutsche redet rein:
Hingegen wann der Sinn gleichwohl will Griechisch seyn?

149. Tri-

149. *Triplex* Καθαρτής.

CAusidicus, Medicus, Præco ſacer omnia purgant;
Hic Cor, Is Corpus, Sacculum at ille cavat.

Idem Germanicè.

Juriſten/ Aertzt/ und Prediger/ seynd alle drey beflissen/
Die Leute zu purgiren wohl/ an Seckel/ Leib/ Gewissen.

150. *In Illud Gall.* FAIRE RAISON.

VINALIS RATIO Rationem perdere ſuevit;
Vis RATIO fiat? Cum Ratione bibe.

151. *In quoddam Gynæceum.*

NOn Gynæceo Malus Aër regnat in iſto:
Mortua nam dudum non ibi Virgo fuit.

152. *In* VASCONEM, *qui ſemper in Plurali vocari volebat.*

MUlti Homines, Multique Viri vis, VASCO, vocari;
Et vir Vix Unus, Vix & es Unus Homo.

153. *In* GRIPPUM, *inſignem Furem.*

SEmper Prudentes occlamant: *Reſpice Finem*:
Clamandum, *Funem Reſpice*, GRIPPE, Tibi.

154. *In quendam Poëtaſtrum.*

SCribere Te jactas tua Carmina Poſteritati:
Sic eſt; *Poſteritas Seſſilis* illa leget.

155. *Ad* POMPILUM, *Uxoris Mancipium.*

DUxiſti Uxorem: ſed nunc Te, POMPILE, ducit;
Illaque Vir ſic eſt: Fœmina Tuque levis.

156. *In*

156. *In Luxum Veſtium.*

ESt Veſtis Teſtis, quales in Cordibus eſtis:
Eſt Veſtis Reſtis, Peſtis & Orbis atrox.

157. *In Adulteram.*

DIligit haud Unum THAIS laſciva Maritum:
Atque ait: *Annon Lex Proximum amare jubet?*

158. *In* CLODIUM *Amoribus deditum:*

VIs, CLODI, Veneris, non Martis Alumnus haberi;
Si Tibi *Bella* placet, Non Tibi Bella placent.

159. *In quendam Epiſcopum qui plura Feſta abrogavit.*

AD ENNIUM.

NOn multùm tuus eſt *Feſtivus* Epiſcopus, ENNI:
Nam plures *Feſtos* ſuſtulit ille *Dies.*

160. *Quid Homini ſit Amariſſimum.*

AD MYRTILUM.

DIc, Tibi quid poſſit contingere Maximè Amarum?
Si quem Adamas: Nec Te, MYRTILE, rurſus amat.

161. *Nebulones Tonſoribus ſubſunt.*

Ad GORGASUM.

TONSOR habet ſub ſe Nebulones, GORGASE, multos:
Hos etenim tondet, tondet ut ille Probos.

162. *In* ALUPUM, *Hominem Voracem & Stupidum.*

A-SINE ſi fieres; fieres *Lupus*, ALUPE; Verùm
A-SINE ſis, non ſis: Es LUPUS, atque ASINUS.

163. *In* ABELLUM *nupturientem.*

NOn *Oculis* tantùm ducenda eſt Uxor, ABELLE;
Sed ducenda etiam eſt *Auribus* illa Tibi.

164. In

164. *In Calvum.*

CALVE, tui Crines Prudentes hercle fuerunt:
Quandò tam ſtolidum deſeruêre Caput.

165. *In Sceleſtum Tonſum.*

SUſtulit incomptos Tonſor de Vertice Crines:
O utinam Lictor tolleret Enſe Caput!

166. *In* LIBONEM *Poëtam claudicantem.*

CUm Verſus pangit LIBO, dêeſt Pes unus & alter.
Nimirum in Pedibus Claudicat, inquè *Pede.*

167. *In* MARNIUM *Arithmeticum Egenum.*

IN Numeris Dives, MARNI, Pauperque Crumenâ es;
Reſtat poſt Numeros Unica *Nulla* Tibi.

168. *Aliud.*

SI Tibi ſunt *Numeri*, MARNI, non ſunt Tibi *Nummi*;
Si non ſint Nummi: quid Numerare juvat?

169. *Medicus AEgrotantibus Deus, Homo & Dæmon eſt.*

NUmen, Homo, Dæmon MEDICUS venerabilis Ægro eſt:
Quando venit, *Numen*: quando medetur, *Homo eſt*:
Promerita à Sano Medicus ſi Præmia poſcat:
Non Deus, aut Homo, ait: ſed, male vade Satan.

170. *Pax cujus generis.*

AD HELLESPONTICUM.

FOeminei Generis Pax, HELLESPONTICE, non eſt:
Fœmina ſi quævis Jurgia ſemper habet.

171. *In Medicos.*

AD PAMPHAGUM.

NAtura & Medicus faciunt nil, PAMPHAGE, frustrà;
Quando fert is *Opem*, tunc meditatur *Opes*.

172 *Quid sit Jesuita.*

AD ALARICUM.

QUæ sit Jesûitæ Descriptio, scire peroptas;
At nisi Jesûita es, vix, ALARICE, scies.
Jesûitæ Nomen, certè est Venerabile Nomen;
Nomino: Pileolum detraho moxque meum.*

* *Nominari non potest, quin SS. Nomen IESV nominetur.*

173. *In Comœdos.*

TUnc Homines carò Mendacia plurima solvunt:
Quando Comœdi Ludicra Dicta placent.

174. *Pecunia Primum Rerum omnium Mobile.*

AStrologi inveniunt in Cœlis *Mobile primum*:
Sed *Primum* in Terris *Mobile* Nummus agit.

175. *In Iconoclastam.*

CRUX placet in Nummis, placet & depicta MARIA;
Cur ergò in Templis displicet illa Tibi?

176. *Fortunæ Inconstantia.*

AD CLEOPHANTUM PICTOREM.

APtè Fortunam pingis, CLEOPHANTE, *Sedentem*;
Nam nunquam in terris Una Eademque *Stetit*.

177. *In Poëtas Bibaces.*

AD HECTOREM.

MIraris, cur ſic ſoleant Potare Poëtæ;
Si *Potare* ſolent, HECTOR: amantque *Sales.*

178. *Deſcriptio Cancellorum Confeßionalium, ex quodam Concionatore.*

CAncellos ſacros *Rimas* vocat ANGELUS * *Orbis:*
Per quas Presbyteri, quid ſit in Orbe, vident.

* *Engelgrav. Dom.* 1. *Adv.*

179. *In Fæminas.*

AUrum ſit Mulier, tamen haud eſt apta Monetæ:
Ut quæ Malleoli verbera ferre nequit.

180. *In Molitores.*

NIl eſt Orbe Togâ Molitoris Fortius albâ:
Quæ Collo Fures milleque mille capit.

181. *In Podagricos.*

NOn miror Podagrâ affectum multùm eſſe Loquacem;
In Linguâ Plantas nam gerit ille ſuas.

182. *In* CRATYLUM, *Aſtrologum pauperem.*

AUreus à CRATYLO *Numerus* numeratur egeno:
Aureus at non eſt, quem numerare queat.

183. *In Poëtas.*

SUnt *Epici*, *Lyrici*, plures aliique Poëtæ:
Sed quis *Mendicos* enumerare valet?

184. *Unde* SATRAPA *dicatur.*

SATRAPA Præfectus Germanos dicitur inter:
Quod SATIS à Cive, à Principe SAT-que-RAPIT.

185. *In* GILLUM *Cornutum.*

SOl ſpargens radios in Cœlo Cornua geſtat;
Creſcens, decreſcens Cornua geſtat item.
Maxima Quadrupedum Pars Vertice Cornua præfert:
Taurus, Rhinoceros, tum Capra, tumque Caper.
Pan Deus ipſe gerit, geſtant Cacodæmones ipſi;
Cur Ego non gererem Cornua? GILLUS ait.

186. *Ars ſemper gaudendi.*

AD BAVIUM.

BArbam rade, Diem ſi vis gaudere per Unum;
Sique per Hebdomadam, Gaudia Nuptiæ * erunt.
Sed ſi per Menſem, pulchrum mercare Gaballum;
Anno ſi medio, ſit Domus empta Tibi.
Duc pulchram Uxorem, ſi vis gaudere per Annum;
Annis ſi Binis, Presbyter eſto ſacer.
Verùm ſi Lætus Vis Tempore quolibet eſſe:
Sit Lex Una Tibi: SOBRIUS ESTO, BAVI.

* *Convivia Nupt.*

187. *In Naſum rubentem cujuſdam Ebrioſi.*

UNio Naſum ornat, Carbunculus, atque Pyropus;
An-Tibi-non *Naſus* ſic *Pretioſus* erit?

188. *De Principe Podagrâ laborante.*

NOſter, ais, Princeps Podagrâ vehemente laborat:
Non igitur Populos qui regat, aptus erit.
O Hominem Stolidum! Quin imò Regna gubernet;
Nam Caput, & non Pes Principis illa regit.

189. *De Concordiâ inter Conjuges.*

SPonſum cum Sponſâ Concordem, Sponda vel Una:
Diſcordem verò nec Domus Una capit.

190. *Pro Barbis.*

AD REGEM.

O Mores Sæcli perverſos! Barba nec Una eſt,
Unum quæ poſſit notificare Virum.
Non Vir adeſt; Orbis jam totus Fœmina tota eſt;
Fœminei *Mores*, Fœmineique *Mares*.
Ejice Barbiſecas, REX MAGNE, reponeque Barbas;
Ut Vir eas cernens, ſe ſciat eſſe Virum.

191. *Quilibet Dies Feſtus eſt Bonis.*

AD GALLUM.

QUid Te, GALLE, Diem ad Feſtum ſtudioſiùs ornas?
Feſta Dies debet quælibet eſſe Bonis.

192. *In* POLYDORUM, *Hominem Curioſiſſimum.*

COrbe Puer tecto, quæris, quid geſtet in iſto?
Heûs, Ideò texit: Nè, POLYDORE, ſcias.

193. *Debita cum Creditore non extingui.*

AD PAMPHILUM.

CReditor, heu! obijt tuus, & jam friget humatus;
Debita num credis jamque obiiſſe tua?
Neu credas; Alijs ſi functus Creditor alget:
At Tibi Debenti, PAMPHILE, vivit adhuc.

194. *Fœmina Malum Neceſſarium eſt.*

AD PONTILIANUM.

SI poſſent Homines abſque ullâ Uxore manere:
Reverà Mundus non foret abſque Dijs.

Abſque

Absque illâ nulla est, cumque illâ Vita molesta est;
Illa *Requisitum*, PONTILIANE, *Malum*.

195. *Quid in ducendâ Uxore observandum.*

SI ducas Pulchram, Communem jamque videbis;
Sed si Deformem, Pœna erit illa gravis.
Siquam igitur duces, Bina hæc Extrema cavebis:
Nè sit Fœda nimis, nè Speciosa nimis.

196. *In Vetulam nubentem.*

NVbere vis Vetula? Heu! poteris Civilia Jura:
Naturæ nunquam Jus violare potes.

197. *Chiorum Turpitudo.*

CHios oppletas Ephororum in Sedibus Alvos
(Sit venia his verbis) exonerâsse ferunt.
Turpia cum solis his perpetrare liceret:
A CHIIS dixit Gallica Lingua ꓘƎIHƆ.

198. *Aurum omnia potest.*

AD VERORIUM.

AVrum si Loquitur, VERORI, Cuncta Silebunt:
Auratæ Clavi Ferrea Porta patet.

199. *Quâ ratione quilibet possit esse Dives.*

AD CÆCILIANUM.

SI Juvenes NOSSENT, Seniorum & Brachia POSSENT:
Nemo Hominum pauper, CÆCILIANE, foret.

200. AD LESBIAM,

Juri dicundo se se immiscentem.

TV non es *Doctrix*, Juris sed, LESBIA *Coctrix*.
Jus coque, quæso, tuum: Jusque relinque Viro.

201. *In illud:* Omnis Terra Forti Patria est.

AD SCHWERTIUM.

OMne *Solum* Forti est amplissima Patria, SCHWERTI;
Amplior at Nautis est Patria omne *Salum*.

202. *Ad* TITUM *ex Subulco Scholasticum.*

PErge (Dij faveant) Studiis incumbere sacris:
Sic Gregis haud *Ductor*, sed, TITE, *Doctor eris.*

203. *In Juristas Avaros.*

SI Corpus Juri est: animatque Pecunia Corpus;
Hæc si desit, erunt Mortua Jura Tibi.

204. *An Judicii extremi Dies propè sit.*

AD BRANDUM.

AVdio terribilem Sonitum jam, BRANDE, Tubarum;
Jamque Urbes passim Martia Flamma cremat. *
Judicii extremi si sit Tuba, Flammaque Signum:
Judicium extremum quis neget esse propè?

* *Hoc Anno* 1690.

205. *In Cornutos.*

SI mirum est, quando tria Cornua Bestia gestat:
Mirandus magis est Cornua mille gerens.

206. *Terram moveri, non Cœlos.*

ANnon Terra movet se se, Cœlumque quiescit:
Quando nulla Solo, multa Quiesque Polo est?

207. *In HORUM Poëtam furacem.*

HActenus, HORE, *Pedes* tantùm Vati esse putabam;
Sed nunc hûic etiam conspicor esse *Manus.*

208. *In Cauponem Aquam Vino miscentem.*

CHristus Aquâ Vinum, è Vino facit Hospes at Undam;
Hinc ANTICHRISTUS jure vocandus erit.

209. AD LIBONEM.

N*Aturam expellas Furcâ, tamen usque redibit*;
Non redit: ad Furcam si, LIBO, Fune liges.

210. *De N. Unico Logices Auditore.*

QUæsitus Logicus, Logicos quot Classis haberet?
Unus cumque foret, *Nos sumus Unus*, ait.

211. *In quendam Lurconem, Concertationum Philosophicarum Illusorem.*

DErides Lurco Logicorum *Menseitates:*
Mensa, ait, *apparet: Dic, ubi Menseitas?*
Nimirum gestas Oculos pro divite Mensâ:
His sed pro vacuâ Menseitate cares.

212. *In Divitem Cæcum.*

DIves habet Loculos centenos, milleque, & ultrà;
Da sine λάμβδα * duos: hos Loculosque teres.
* *Oculos.*

213. *Cur Aurum pallescat.*

PAllet Homo metuens, cur non palleret & Aurum;
Si tot ei insidias undique tendit Homo?

214. *In quendam Religiosum, Munerum Amatorem.*

PRo Christo Villas, & Prædia multa relinquis;
Jamque Tibi raso plurima Dona placent?
Prædia vel retine cum Villis, Assecla Mundi:
Assecla vel Christi Munera nulla cape.

215. *Verba non Satiant.*

AD PONTICUM.

IEjunas Proles quid vis compescere Verbis?
Non Aures vacuus, PONTICE, Venter habet.

216. *Quid sit Festum.*

DIcendum est hodie FESTUM commune Malorum
Irritamentum, Luxuriæque Parens.

217. *Facilis Descensus Averni.*

NOn miror, si sit facilis Descensus Averni:
Illuc si extincto Lumine migret Homo.

218. *Utrum priùs fuerit Nox, an Dies.*

AD LYSISTRATUM.

AN Nox ante Diem fuerit? LYSISTRATE, quæris;
Unâ Luce prior Nox fuit ante Diem.

219. *In* POLLUCEM, *Meretricis Amatorem.*

COrreptus POLLUX, aleret quod nobile Scortum;
Non alo, ait, Scortum nobile: me sed alit.

220. *Uxor parva, Malum minus.*

ELigit Uxorem parvam THEODORUS; At inter
Tot Mala, ait Minimum sumere nonnè libet?

221. *Ad Prænob. D. LUDOVICUM MAURICIUM CATHCARTH A CARPENSTEIN, Amicum suum.*

(Cantatum Homburgi 12. Nov. 1689. cum Autor uno cum eo Hospitio uteretur.)

MEnsa una Ambobus Nobis est, Lectus & unus;
Est unus Famulus, si velim & unus Equus.

Denique

Denique Cor unum : perfectè & in omnibus Unum
Nos, LODOICE, sumus : Sit modò & Una Fides.

222. AD R. P. FRIDERICUM GEIGER S. I. *Amicum suum.*

SI non est Figulus Figuli, Cantoris amans est
Egregius Fidicen: Cantor amansque Chelis.
Concentum mirum facit hæc Concordia discors:
Dulcè sonatque bonæ Vox bona juncta Lyræ.

223. *In quosdam Molitores, & Medicos.* AD PONTILIANUM.

FUr publicus Molitor, Medicus Latro publicus; Ille
Fruges, hic Vitam, PONTILIANE, rapit.

224. *In Tænias Muliebres, quæ vulgò* Fontanges *nominantur.*

MOecha Viro quondam imponebat Fœmina Cornu:
Sed nunc illa suâ Cornua Fronte gerit.

225. *In Sacerdotes.*

PResbyter in templo Calicem fert primus ad aram;
Ast alibi Calices ultimus ille ferat.

226. *In Parthenophilum.*

NUper Confratrem sincero corde monebam:
Nè sibi tam juvenis Berta ministra foret.
Annè ait, est juvenis, quæ jam tot computat annos,
Quot numerat Vitulos Vacca vetusta nimis?

227. *Poëta de suis Versibus malè compactis.*

DUm clamo, nostros malè Versus esse LIGATOS:
Rectè dixisti, Bibliopegus ait.

228. *In Morem Argentoratensium, Mortuos in Curribus ad Sepulturam evehendi.*

(Cantatum ab Autore, cum ejusmodi Pompæ funebris Argentinæ Spectator esset 23. Febr. 1690.)

AD VERTAMUM.

ARgentinenses ad Mortem, VERTAME, currunt;
Curribus ad Tumulum nam properare solent.

229. *De Adventu cujusdam Amici tempore pluvio.*

VEnisti tandem, mea Lux, mea Vita; perennes
Æther fundat aquas, nè remeare queas.

330. *In quendam Librum Impudentissimum.*

AD RANCUM.

MUlta quidem Capita hîc, & maxima, RANCE, leguntur;
Et tamen haud isto Frons nitet ulla Libro.

231. *In quendam Papæ Osorem.*

CUr PAPAM Stultum tantâ cum bile vocâsti?
Si Caput est Orbis, num caret ingenio?

232. *In Causidicos & Medicos.*

AD GLAUCUM.

CAusidici & Medici dum perdunt, GLAUCE, lucrantur;
Ex Ægri & Causæ Perditione Lucrum est.
Non valeat, valeat Causa, & macilentior Æger:
Causidici & Medici farta Crumena valet.

233. *Poëta de suis Titulis & Chartis.*

INnumeros Cistæ Titulos, Chartasque recludunt;
Jura quidem teneo, *Rura* sed alter habet.

234. In

234. *In Potatorem Obesum.*

CUr Potatori tumet Alvus Collis adinstar ?
Nimirùm Colles Bacchus obesus amat.

235 *Stultorum infinitus est Numerus.*

SEptem Prudentes numeravit Græcia quondam;
Quis Stultos omnes enumerare potest ?

236. *In quendam Nobilem, Moribus incultum: Cum de Genere & Specie publicè disputaret.*

NObilis in GENERE es, SPECIE non Rusticus esto;
In Te conveniant & GENUS, & SPECIES.

237 *Spes alit Agricolas.*

SPes alit Agricolas, quondam cecinêre Poëtæ:
Spem tamen haud pingues reddere posse lego.

238. *In quosdam Conjuges discordes.*

IN Cœlo Martem Veneri junctum esse putabam:
Sed nunc in Terrâ cerno habitare simul.

239. Nubere *unde dicatur.*

NUbere Grammatici dicunt à *Nube* periti:
Quod Nuptos inter *Grandinet*, atque *Tonet.*

240 *In Rufiberbem Egenum.*

AUrea circumdat rubicundum Barbula Mentum;
O tua si talis, RUFE, Crumena foret!

241. *In* FABRICIANUM, *Nobilem superbum,*

ET Genus, & Proavos Romano à Sanguine jactas;
Forsitan à *Brutis*, FABRICIANE, venis.

242. In

242. *In* CRATINVM *Ebrietati deditum.*

SI Tu non *vites* rubicunda liquamina *Vitis*:
Tunc erit *invito Vita*, CRATINE, brevis.

243. *In Sacerdotem Sacrilegum.*

SI, dum *Sacra legis*, Crimen lethale gravet te:
SACRILEGVS meritò tunc vocitandus eris.

244. *Cor induratum Peccatoris, Oratione magis, quàm Dictione emollitur.*

AD QUENDAM CONCIONATOREM.

SI Tu non *Oras* pro Duro, quando *Peroras*;
Dic multas Horas: Protrahet ille *Moras*.

245. *In* NARSETEM, *ex Scholastico Sartorem.*

NOn dubito, quin ſit jam NARSES factus Acutus:
Si, ut Socii referunt, Omnia tangit Acu.

246. *Devotarum Familiaritas cavenda.*

AD BERTHOLDUM.

IN Terris *Sanctum* poteris, BERTHOLDE, videre:
In Cœlis ſolùm *Sancta* videnda Tibi.

247. *Differentia inter Pictorem & Medicum.*

EXplicat ipſe ſuos Errores PICTOR ineptus:
In terrâ MEDICVS contumulatque ſuos.

248. *In malas Fœminas.*

MAgnum Fama Malum, Famâ majusque Fames eſt;
Fœmina ſed Summum jure vocanda Malum.

249. *In* CRITOLAI, *Viri turpiſsimi Librum mendoſiſsimum.*

QUid clamas toties: *Emenda plurima Menda*?
Omnia quæ dicis, non, CRITOLAE, facis.

250. AD TYPOGRAPHUM.

INnumeras ſanè Laudes, FRIDERICE, mereris:
Quas caneret Fidibus grata Thalia novis.
Sed Præli lentos incuſat Muſa Labores:
Et tantas Remoras vix tolerare poteſt.
Sat citò comparent, ſi ſat benè Carmina, dicis;
Sed nimis illa citò, quæ malè cuſa queror.

251, AD EUNDEM,

Horum Epigrammatum Editionem alteram, præter expectationem Autoris diutiùs differentem.

CUr mea tam lentè ſubeunt Epigrammata Prælum:
Id poſtquàm noſtri tot ſubière Libri? *
An quia langueſcunt: nec Apolline digna loquuntur?
An Obtuſa nimis ſunt, vel Acuta nimis?
Non, ais, id cauſæ eſt; Operas ſed ſcribis abeſſe:
Quas Mors, Mars, Morbus jam rapuêre Tibi.
Debilis at Ratio; Ratio ſincerior hæc eſt:
Unâ Epigramma ſolet Cauſaque Sorte *frui*.
Qui caret Argento, Cauſa & caret Argumento:
Qui caret Argento, Prælo Epigramma caret.
Cauſidicus Cauſas, Prælumque Typographus urget:
Aurea cum tinnit Nolula, fervet Opus.

* *Vide ſuprà Pag. 6. & 7.*

252. In

252. *In Bibliopolygraphiam.*

AD ACHANTUM.

TOt certè Libri jam conſcribuntur, Achante:
Ut non ſint Homines tot, quot in Orbe Libri.
Sed quando Libros ceſſabunt ſcribere Docti?
Emptor ſi Nemo: Nemoque Scriptor erit.

Idem Germanicè.

Auff Bücher-Schreiben geht man ſehr:
Man ſchreibet ſie mit hauffen.
Niemand wird Bücher ſchreiben mehr:
So niemand ſie wird kauffen.

253. AD ANCUM,

Versûs Simplicitatem arguentem.

SErmo Prudentis non indiget, Ance, Figuris:
Indiget haud multis Dictio vera Tropis.

254. *AD Eundem.*

SImplicitas Versûs à Te quid carpitur, Ance?
Verſus ſi ſimplex, Verus at eſſe ſolet.

255. IN ZOILUM.

GAllica jam legi, dicis, quædamque Latina;
Omnia non nova ſunt, quæ Liber ille refert.
Zoile, nec minimum noviſti ſcandere Verſum:
Vix Idioma capis, carpere viſque Librum?
Si novus haud Verſus, tamen eſt nova Verſio Versûs;
Verſio ſi vetus eſt, eſt novus ipſe Typus.

256. *In Eundem.*

GAllizas nimiùm, clamas: & Lilii Odorem
Exhalat Calamus, Carole, ubique tuus.

Sed

Sed quid? An olfaciens tam ſacros, Zoile, Flores,
Indignabundus Vertice fortè doles?
Non tantùm Nares Nobis, ſed & indiga replet
Indelibatus Viſcera Lilii Odor.
Cujus ego Panem *comedo*, haud *incommodo*, Mome.
Qui ſibi dant *Panes*, non petiêre *Canes*.

257. *In Eundem.*

EGregium Vatem, egregiè ſtulteſcere dicis;
O utinam Stultus ſolus in Orbe foret!
Prudens Stultitia eſt, ſacris digniſſima Muſis:
Stultorum Mores quæ reparare poteſt.

258. *In Eundem.*

NOn habet, exclamas; hic ullum Verſus Acumen;
At, ſi Te pungit, Zoile, Acumen habet.

259. *In Eundem.*

NOn placet hic noſter Tibi Verſus; Quæſo, quid inde?
Nec ſanè multùm Tu Mihi, Mome, places.

260. *In Eundem.*

SI Tibi non placeant, quæ ſcripſi Carmina, Mome:
Carmina Carminibus fac Meliora meis.

261. AD LIBELLUM.

SI quot ſunt Mundi, Tibi ſint tot Menda, Libelle:
Emendato Uno, denique Mundus eris.

FINIS LIBRI QUINTI.



CAROLI DESIDERII
ROYERI DE NOMMÇEIO,
SELECTORUM EPIGRAMMATUM
LIBER VI.
EPITAPHIA
COMPLECTENS.

---

1. *ADAMI.*

CONditur hoc Tumulo Genitor primævus ADAMVS;
Ante hominem Pulvis, post hominemque Cinis.

2. VIRAGINIS AVRELIANENSIS

HOstes Jus violant Naturæ, FORTIS AMAZON:
Cum Te sacrilegis imposuére Rogis.
At sic Fata volunt; Nam quæ Vitam Herculis olim
Vixisti; Herculeâ Morte perire decet.

Idem Gallicè.

De la Pucelle d' Orleans.

L'*Ennemi tout Droit violant*,
Belle Amazone, *en vous brûlant*,

Te-

Témoigna son Ame perfide;
Mais le Destin n'ût point de tort.
Celle, qui vivoit comme Alcide,
Devoit mourir comme il est mort.

3. ALEXANDRI MAGNI.

MAGNUS ALEXANDER parvâ hâc jam clauditur Urnâ:
Olim cûi Mundus non satis Unus erat.

Idem Germanicè.

HJe ligt Alexander der Held/
Der sich Groß nennen lassen.
Dem viel zu klein war diese Welt:
Den kan diß Grab nun fassen.

4. HENRICI MAGNI.

REx, jacet hîc MAGNUS: post mortem MAXIMUS; Auxit
Mortuus Imperium Fata per ipsa suum.
Qui sub multiplici Terram Ditione tenebat:
HENRICUS Cœlum jam quoque functus habet.

5. *Ducis Aurelianensis.*

MArs superans Martem, quo Thracia sæva superbit;
Parthaque quem multo funere Terra tulit.
P*atrem* habui, centum qui Palmas messuit *Unâ*:
Qui centum Reges deposuitque Throno.
Mater, Semideos producens Stemma recenset:
Quod delet Radiis Lumina cuncta suis.
Sum tamen heu! Pulvis: Parcæ par Sanctio Legum;
Has subii; Mihi nec profuit, esse Ducem.
Discite Vulgares Animæ, Gens nescia Recti:
A Duce defuncto discite, quæso, Mori.

Idem

Idem Gallicè.

Du Duc d' Orleans.

PLus Mars, que Mars de la Thrace;
Mon Pere Victorieux,
Au Roys les plus glorieux
Ota la premiere place.
Ma Mere vient d'une Race,
Si fertile en Demy-Dieux:
Que son E'clat radieux,
Toutes Lumieres efface.
Je suis Poudre toutefois;
Tant la Parque a fait ses Loix
Egales & necessaires.
Rien ne m'en a sçeu parer.
Aprenez, Ames Vulgaires,
A mourir, sans murmurer.

6. HENRICI A LOTHARINGIA,
Ducis Quisii,

Paris Franciæ.

QUi transis, inter quid mœsta Cadavera quæris?
Tam tristi HENRICUS non Regione manet.
Hunc quære in Libris, ubi descripsêre Triumphos
Semideûm Charites, Gloria, & alma Fides.
Aulis in nostris, Oculis, & Corde latentem
Quæres, atrato Pieridumque Choro;
Qui Radiis tanti quondam perstrictus Honoris:
Hûic tribuit Sedem, quam tenuêre Patres.
Cordibus haud tantos Vivens expressit Amores,
Nec Moriens Heros tot Lacrymas Oculis.

Nemo

Nemo ſui propiùs Domini Veſtigia preſſit;
Ille Triumphantis Dextera Regis erat.
Hoc ergò HENRICUM Tumulo nè quære, Viator;
Urna habeat Cineres, non habet illa Virum.
Nam Famâ totum qui complet Nominis Orbem:
Foſsâ tam anguſtâ non latitare poteſt.

Idem Gallicè.

Du Prince HENRY DE LORRAINE,
Duc de Quiſe, & Pair de France.

QUe cherche tu, Paſſant, dans çes funeſtes lieux;
Si tu veus voir HENRY, cherche le dans l'Hiſtoire:
Ou les Graces, la Foy, l'Honneur, & la Victoire
Ont gravé les Portraits de tous nos Demy-Dieux.
Cherche le dans nos Cœurs, cherche le dans nos Yeux;
Cherche le dans le Deüil des Filles de Memoire,
Et de tout un Pays: qui charmé de ſa Gloire,
Le mit ſi prés du Trône, ou l'on vit ſes Ayeux.
Quel Heros en vivant poſſeda plus de Charmes?
Quel Heros en mourant fit verſer plus de Larmes?
Quel Prince de ſon Mâitre a mieux ſuivi les Pas?
Ne le cherche donc plus dans cette Urne profonde:
Elle enferme ſa Cendre, & ne le contient pas:
Puiſque ſa Renommée a rempli tout le Monde.

7. RICHELII CARDINALIS.

RICHELIUS jacet hîc, Gallorum Gloria, Amorque.
Non eſt in toto *Ditior* Orbe *Locus* *

* Richelieu, *Divitem Locum ſignificat.*

8. *Marchionis* DE GESVRE, *à fragmento Lapidis in Obſidione Theoniſvillanâ occiſi.*

TRiſtia, at æternæ Monumenta fidelia Famæ,
Marmora, perpetuus Mortis & Artis Honor.

Duri & flexibiles Testes heu! Sortis iniquæ:
 Lugubre, sed pulchrum quæ fabricavit Opus.
Congeries Lapidum Pompâ spectabilis atrâ:
 Robur ubi Heroum, Religioque micant.
Marmora, Phidiacæ Thesaurus maximus Artis:
 Ferrum ubi præteriti Temporis Acta notat.
Funesti Tumuli Miracula splendida: Jaspis
 Mœret ubi virens, atque Alabastra gemunt.
Quàm dextrè Damnum reparatis flebile: Lucem
 Dum datis Heroi, quam fera Parca tulit.
GEVRAEI ex Statuâ Voces has funditis: *Illi*
 Hâc, quem sustulimus, reddimus Arte Diem.

Idem Gallicè.

Du Marquis DE GESVRE, tué d'un éclat de pierre de la mine, deuant Theonville.

LVgubres Monumens d'une éternelle Gloire:
Marbres, que l'Art fait vivre à l'Honneur de la Mort.
Durs & tendres Témoins d'un lamentable Sort,
Qui rend un beau Succes, funeste à la memoire.
 Pierres, de qui l'Amas fait une Pompe noire:
Ou la Pieté brille, ou la Vaillance dort.
Grands Tresors de Sculpture, ou par un noble Effort
Le Fer industrieux a r'animé l'Histoire.
 Merveilles, qu'on découvre en ce riche Cerceüil:
Ou l'Albâtre gemit, ou le Jaspe est en deüil.
Que vous reparez bien un insigne Dommage!
GESVRE revoit le jour: à tort nous en doutons;
Et vous nous semblez dire en son auguste Image:
Si nous l'avons tué, nous le ressuscitons.

9. D. DE MONTMORENCY.

MOrtuus est Mavors, & Belli nobile Fulmen:
 Heu! gelidus jam sunt illius Ossa Cinis.

Phœnix

Phœnix Heroum, Lauros qui mille gerebat:
  Non fugit, quæ Mors Tela cruenta vibrat.
Excisa est nuper Radix hæc Arboris, eheu!
  Tam tristi casu concita Terra tremit.
Vita super nulla est, quàm quæ de Carmine nostro,
  Déque suo quondam, quem tulit Ense, venit.
Tu qui triste Genus Mortis vis scire, Viator:
  Binos hoc Versus perlege, moxque scies.
A Fronte impavidum non ausa ferire Tribunum:
  A Tergo tandem perfida Parca ferit.

Idem Gallicè.

De Mons. De Montmorençy.

Mars est mort : ce n'est plus que poudre;
Et ce grand Phenix des Guerriers,
Dans une Foret de Lauriers,
N'a pû se garantir du Foudre.
  Sa Trame vient d'étre coupée,
  A la terreur de l'Univers:
  Il ne vit plus, que dans mes Vers,
  Et par ce qu'a fait son Epée.
Toy, qui lis, si Tu ne sçais pas,
De quelle sorte le Trépas
Emporta son Ame guerriere:
Ces deux Vers T'en rendront sçavant:
La Parque l'a prit par derriere,
Ne l'osant prendre par devant.

10. *Illustrissimi D. Cancellarij.*

Hic jacet Eloquii Torrens, Lux magna Nepotum:
  Cùi nunquam vidit Gallia nostra parem.

Nam Solis qui *non* est *pluribus Orbibus impar*,
Augustam Sedem post pia Fata replet.
Muneris explevit cunctas tam sedulò partes:
Ut quod succedat non sit in Orbe Caput.
Officii hoc Pondus solus perferre valebat:
Orbem totum Humeris qui gerit ipse suis.

Idem Gallicè.

De Mr. Le Chancellier.

CY gît ce Torrent d' Eloquence,
Qui n'a jamais eu son pareil:
Puisqu' apres sa Mort le Soleil
Remplit icy bas sa Sçeance.
Il a si bien servi l' Etat,
Que nôtre *Auguste Potentat,*
Ne veut pas, qu'aucun luy succede.
Sa Charge étoit d'un si grand Poids,
Que le plus éclairé la cede
Au plus Sçavant de tous les Roys.

11. Turrenii.

TError Teutoniæ jacet hîc Turrenius Heros:
Orbis Amor, Regis Deliciæque sui.
Cùm petere Heröem propiùs non ausa fuisset:
Eminus hunc petiit Mors inimica Globò.
Rex illum flevit; Lacrymas si fundere posset
Mars, certé Lacrymis fleret & ipse suis.
His etiam Lacrymis voluisset Gloria fleri:
Si potuisset & hæc Morte perire pari.

12. Boudevillæ.

QUod Cinis & Pulvis sis, à me disce, Viator:
Terra quòd hæc etiam sit peregrina Tibi;

Ossa quod Agricolæ, magni quod Regis & Ossa,
Commixta albescant denique Sorte pari.
BOUDEVILLA jacet; Mens imperterrita bello:
Gallicus & Mavors, Vulnera nulla timens.
Nomen, quod totum quondam repleverat Orbem:
Eheu! nunc Feretrum vix id jnane replet.
Fulmina dira Jovis non sic timuêre Gigantes:
Hostes ut tanti terrifica Arma Viri.
Mors ipsa expavit; Velatum aggressa cecidit:
Haud aliàs Oculos ausa videre suos.

Idem Gallicè.

De Mr. DE BOUDEVILLE.

PAssant, *aprens de moy, que Tu n'es, que Poussiere:*
Que ce Monde est à l' Homme un Pays etranger:
Et que le Corps d'un Grand, & celuy d'un Berger,
Dequoy ils soient couverts, sont de même matiere.
Boudeville *n' est plus, & cette Ame Guerriere,*
Qui crojant, que le Fer ne pût l'endomager,
Attaquoit chaque jour quelque nouveau danger:
N'est plus rien, qu'un grand Nom, à remplir une Biere.
Qu'on ne s' étonne point, si je dis, que ce Mars
Cent fois a fait pâlir la Guerre & les Hazards:
Et que le Foudre étoit moins craint, que son Courage.
Les Bruits de sa Valeur furent si bien fondés:
Que la mort même eut peur, de le voir au Visage:
Et n'oza l' attaquer, quil n'eut les Yeux bandés.

13. IOANNIS ROYERI, *Autoris Parentis Optimi.*

ROYERUS jacet hîc, Patriæ Solamen, Amorque.
Corpus humo tegitur, Mens petiitque Polum.

14 GABRIELIS ROYERI, *Autoris Patrui, dicti* Bernardini ab Angelis, *in Ordine Carmelitarum discalceatorum: quem tertiùm Provincialis, & fermè semper Superior suprà Annos 50. in Galliâ rexit.*

HIc jacet, Angelicâ qui Vitâ & Nomine luxit;
Gloria Carmeli, Stirpis Honorque suæ.
Cana Fides, Pietasque gravis, Doctrinaque rara,
Lumen Carmeli constituêre sacri.
Quot Responsa dabat, tot erant Orâcla; Sagaci
Mente Cato; Eloquii nobile Flumen erat.
Terra Sacerdoti si concredenda fuisset:
Quantâ hanc rexisset Dexteritate PATER? (a)
Carmelum ter enim rexit; mirataque Roma est:
Tot Decora in Cœco posse latere Viro. (b)
Brestano ex Portu, Cœli mox solvit ad Oras:
Brestum hûic Exilium. (c) Patria sola, Polus.

(a) *Quidam Minister Statûs in Gallia dicere solebat: P. Bernardinum totum Orbem regere potuisse.*

(b) *Oculis laborabat, cum ad Capitulum Generale Romam profectus est, Anno* 1681.

(c) *Româ redux, à Rege jussus est Brestum in Britanniam concedere: quod quidam Patres Galli Votum suum in Electione Generalis Alicui dederint, quem Regi displicere nesciebant. Obiit ibidem cum Fama Sanctitatis, Anno* 1685.

15. LUDOVICI ROYERI, *Domini de Barvillâ, &c. Autoris Consanguinei.*

COnditur hâc gelidâ Lodoicus Nobilis Urnâ:
Filius, ut vixit, Martis (a) & Artis Honos. (b)
Quem non in Bello vicerunt Prælia centum: (c)
Devicit Mortis Pugna vel una domi. (d)

(a) *Ab anno AEtatis decimo, usque ad* 50. *Arma tractavit.*

(b) *Mirè fuit Industrius in re quâlibet.*

(c) 125. *Praliis cum laude interfuit.*

(d) *Obiit Nancei; in Patriâ suâ, Anno* 1683.

16. BA-

16. Baptistæ Poquelini Moliere, *insignis Comœdiographi.*

R*Egem*, *Devotum*, & quem non impunè lacesso;
Cum *Medicum* aggredior, quàm malè cessit Opus!
Qui Mortem lusi, Mors heu! me denique lusit;
Nec Medicus potuit ferre vocatus opem.

Idem Gallicè.

Du S.r Moliere Comedien,

Mort deux Heures apres avoir ioué *le Malade Imaginaire.*

I'*Attaque impunément le plus haut Charactere*
Des Roys, & des Devots, du Marquis, du Vulgaire:
Jouant les Medecins, *ie me suis échoué.*
Je meurs sans Medecin, sans Prêtre, sans Notaire.
J'ay joué la Mort même, & la Mort m'a joué.

17. *Aliud.*

QUi Vivus cunctos ludebat: denique lusit
Se Moriens; Varium Morsque coronat Opus.

Idem Gallicè.

Du même.

M*Oliere s'est moqué de Tous heureusement:*
Il a joué chacun sous divers Personages;
Et pour finir tous ses Ouvrages,
Il s'est joué Luymême, & l' a fait en mourant.

18. Dianæ *Theologi.*

Hîc Diana jacet, Casus qui solverat omnes:
Quem Mors proposuit, solvere non potuit.

19. *Insignis Adolescentis.*

MOrtuus est Daphnis : Manibus date Lilia plenis :
Et Tumulum Violis contegite, atque Rosis.
Spiritus Angelicam si posset perdere Vitam :
Perderet ut Daphnis, par cui Vita fuit.

Idem Gallicè.

D'un Jeune Homme accompli.

DAphnis est mort si saintement,
Qu'on peut bien dire justement,
Celebrant ses Louanges ;
Que si la Douleur, ou l' Envie
Faisoit mourir les Anges :
Ayant vêcu comme eux, ils moureroient comme Luy.

20. *Comitis* BRISSACII.

MOrtuus in bello est nuper Brissacius Heros ;
Negligit Ignavos Mars, Validosque ferit.

Idem Gallicè.

De Timoleon de Cossé, Comte de Brissac.

BRissac étoit sans peur, Jeune, Vaillant & Fort ;
Il est mort toutefois ; Passant, *ne T'en etonne.*
Car Mars, le Dieu Guerrier, pour montrer son Effort,
Se prend aux plus Vaillans, & aux Lasches pardonne.

21. EUCLIDIS.

HÎc jacet EUCLIDES : à quo cum Linea ducta est
Plurima : Postremam Mors truculenta dedit.

22. *Pueri suprà ætatem sapientis.*

HOc, Virtute Viris major, jacet *Ære*, Puellus ;
Mors rapuit : quoniam credidit, esse Senem.

Idem

Idem Germanicè.

Eines jungen / aber über das Alter verständigen Knabens.

HJe ligt ein sechsjähriger Knab:
Sechszig hätt man ihm geben;
Darumb must er ins Grab hinab/
Und dörfft nicht länger leben.

23. *Adolescentis nobilis, in prælio occisi.*

INvidiâ tactus Mars, & Formidine magnâ,
Hunc Juvenem Fato præcipitante tulit.
Nam si mansisset post tot jam Facta superstes:
Mars ab eo victus, Mortuus ipse foret.

Idem Gallicè.

D'un jeune Gentilhomme, mort dans un Combat.

MArs comblé de Peur, & d'Envie,
Devant ses Ans couppa sa Vie:
Craignant, de ne se voir vaincu,
Si ce Corps eut longtemps vécu.

Idem Germanicè.

Eines jungen Edelmanns / welcher in einer Schlacht umbkommen.

MArs hat ihn jung verletzet bald/
Mit viel tödtlichen Wunden;
Hätt er ihn lassen werden alt;
Er selbst wär überwunden.

24. *Quidam hoc Epit. Uxori suæ posuit.*

ESt Uxor tandem mea mortua. Quàm benè pro Se,
Et pro Me gelido clauditur hoc Tumulo!

Idem

Idem Gallicè.

D'une Femme.

CI git ma Femme : O qu'elle est bien ,
Pour son Repos , & pour le mien !

Idem Germanicè.

Eines bösen Weibs.

Hie ligt mein Weib; wie wohl ligt sie!
Jetzt hat sie Ruh / nimmt mir viel Müh.

25. *Fœminæ præ amore in Maritum suum mortuæ.*

HAc qui pertransis, gressum remorare, Viator;
Miraque præsenti Marmore scripta Leges.
Fœmina casta sub hoc frigenti conditur Antro:
Quam subitò extinxit Conjugis unus Amor.
Uxores alias docuit, redamare Maritos :
Sanctam Conjugii nec violare Fidem.
Nullius Exemplum Mulier miranda secuta est :
Ejus & Exemplum Nulla secuta fuit.

Idem Gallicè.

D'une Femme, morte par amour pour son Maris.

PAssant , arréte icy tes Pas:
Autrement Tu ne liras pas
Une Histoire si merveilleuse :
Que celle , qu' à tes yeux ce Marbre peut offrir.
Cy gît *de son E'poux une Femme Amoureuse,*
Que son chaste Amour fit mourir.
Aux-Dames elle a fait une Leçon commune ,
De mourir en Femme de bien ;

Mais

Mais elle n'a ſuivi l'Exemple de pas Une:
Pas Une ne ſuivra le Sien.

26. *Aliud.*

COnditur hîc Mulier, præ Sponsi mortua Amore:
Non amat hoſce *novos* Fœmina quæque *Modos.*

Idem Gallicè.

Autre.

I*çy gît le Corps d'une Belle:*
Que l' Amour d'un Maris reduiſit au Trêpas.
Ce qui doit étonner, c'eſt de voir en ce Cas,
La premiere Mode nouvelle,
Que le beau Sexe n'ayme pas.

27. GUESPERII, *Hominis Litigioſi.*

GUESPERIUS jacet hîc, Litis vitioſus Amator:
Hæc poterat Vitam forte fovere ſuam.
Audiit, Inferni Rhadamanto Judice duro,
Æternâ Stygias Lite ſonare Domos;
Cùm multæ Lites alio quoque dentur in Orbe:
Quid differre juvat? Nunc moriamur, ait.

Idem Gallicè.

D'un Plaideur.

LA GUESPIERE *gît içy pres,*
Dans une Requéte Civile.
Une Repriſe de Proces,
Luy pouvoit, dit on, étre utile.
Mais oyant parler de Minos,
Et de ces Palais Infernaux,
Qu'on trouve ſous l'oublieuſe Onde;
Il dit: Mourons, i'en ſuis d'accord:
Pourquoy reculer à la mort:
Puiſque l'on plaide à l'autre Monde?

28. *Viri Ignavi, Ignarique.*

Hîc jacet Is, qui nos docuit: quod Vir benè poſſit
Vivere Cordis inops, Mentis inopsque Mori.

Idem Gallicè.

D'un grand Seigneur, ſans Cœur & ſans Eſprit.

Cy deſſous gît un grand Seigneur:
Qui de ſon vivant nous apprit;
Qu'un Homme peut vivre ſans Cœur;
Et mourir ſans perdre l'Esprit.

29. ARETINI *Poëtæ.*

Hâc ARETINUS Vates malè fœtet in Urnâ;
Cunctos mordebat: ſed modò mordet Humum.
Contrà omnes ſcripſit: tacuit de Numine ſolo;
Parcite, ait, *nullum noſco & adoro Deum.*

Idem Gallicè.

Du Poëte ARETIN.

Içy gît ARETIN, *le Pöete Toſcan;*
Qui parla mal de tous, hormis de Dieu; Helas!
Pardonnez moy, *dit il*, ie ne le connois pas.

Idem Italicè.

Qui giace l' ARETIN *Poëta Toſco,*
Che d'ogniun diſſe mal, fuor che di Dio:
Scuſando ſi col dire: Non lo conoſco.

30. JOANNIS FRITI, *ob Hæreſim Londini combuſti.*

PUrgantes Flammas quod blaſphemo Ore negârit:
Londini eſt frixus commerito Igne *Fritus.*

Idem

Idem Gallicè.

De M. Jean Fritus, brûlé à Londres, pour avoir nié le Purgatoire.

ICy gît Mâitre Jean Fritus,
Qui faisoit fort du Vantitus,
Et du Docteur Scientifique.
Mais d'autant qu'l fut Heretique,
Il fut jetté vif dans le Feu.
Ce n' étoit pour avoir trop beu:
Mais ce fut bien, ne vous déplaise,
Par son Zele, chaud comme braize,
Qu'il fut brûlé, fricassé, frit:
Ainsy mourut Mâitre Jean Frit.

31 Penthei.

(Ex Nonno in Dion.)

Εἰμὴ νέκυς πενθῆος, ὁδοιπόρε, νηδὺς Ἀγάυης:
Παιδοκόμος μ' ἐλόχευσε, καὶ ἔκτανε παιδοφόνος χείρ.

Idem.

PEntheus hîc jaceo: Mater fuit impia Agave;
Vitam si Venter dat: fera Dextra rapit.

Idem Gallicè.

PAssant, je suis Penthee, *Agave fut ma Mere;*
Son Ventre me porta : sa Main en est Meurtriere.

32. Marii, *Hominis peravari.*

HIc situs est Marius: Vir, quando vixit, Avarus;
Nunc vix fert, gratis Scripta quod ista legis.

33. *Athei.*

NEscio, quò vadam; Via nunc mihi cœca tenenda est.
Invitus morior. Posthume chare, vale.

34. Ebrii

34. *Ebrii in aquis submersi.*

MOrtuus est: Vino num forsitan ebrius? Ah non!
Viveret, infestam si vomuisset Aquam.

35. *Alicujus, qui se Regem AEthiopiæ dicebat Parisiis, ubi mortuus est.*

HIc jacet Æthiopum Rex; Utrùm Exemplar is ejus
Sit, vel Prototypon: dicere nemo potest.

Idem Gallicè.

D'Un, qui se disoit Roy d' Etiopie, & qui mourut à Paris.

CY gît le Roy d' E'tiopie,
L' Original, ou la Copie.

36. *Alicujus, qui ob nimium Potum Aquæ Vitæ, sive Vini adusti, mortuus est.*

QUod potârit *Aquam Vitæ*, nunc mortuus alget;
Hæc Aqua non Vitæ, Mortis at Unda fuit.

Idem Gallicè.

D'Un qui mourut, pour avoir trop beu d'Eau de Vie.

CY gît, dont la Valeur en dépit de l'Envie,
En cent Occasions avoit bravé le Sort;
Mais pour avoir un Jour trop bû de l'Eau de Vie,
Il trouva sur le soir, quil avoit bû sa Mort.

37. *Corrupti Judicis.*

HIc dormit, quondam vigil, ut Bona rapta teneret:
Raptorem at rapuit Mors vigil, atque rapax.
Cùm tanto fuerit corruptus tempore Judex:
Tam tardè mirum est, hunc potuisse Mori.

Idem

Idem Gallicè.

D'un mauvais Juge.

P Aſſant, *ne ſonne mot : Icy dort maintenant*
Quelqu'un , qui fut jadis trop éveillé , pour prendre.
Pour moy , ie crois aſſez , que ce fut en prénant ,
Que la Mort , qui prend tout , le prit , à jamais rendre.
Et ie m' étonne fort , que tant vivre il a pû :
D'autant que ſes Faveurs ont part tout fait entendre,
Plus vingt ans il y a , qu'il étoit corrompu.

38. *Athei.*

C Uræ expers vixi, morior nunc abſque dolore:
Nullum ploravi, à Nemine ploror ego.
Sed quónam migro? Loca ſunt incognita Nobis:
Sorboniſta Libris explicet illa ſuis.

Idem Gallicé.

D'un Athée.

I*'ay vécu ſans ſouçy , & ie meurs ſans regret :*
Perſonne ne me plaint , & ie ne plains Perſonne.
Pour le lieu , ou je vay , c'eſt un trop grand Secret :
Je le laiſſe à vuider à Meſſieurs de Sorbonne.

39. *Raigneri, itidem Athei.*

V Ixi perverſæ Naturæ Dogma ſecutus,
Ridens æterni Dogmata ſacra Dei.
Cùm Mortis nunquam Vivens meminiſſe ſtuderem:
Miror ego, Mortem nunc meminiſſe Mei.

Idem Gallicè.

D'un autre Athée, nommé Raigner.

I *A'y vêcu ſans nul penſement ,*
Me laiſſant aller douçement

A la

A la bonne Loy naturelle.
Et ie m' étonne fort, pourquoy
La Mort oza ſonger à Moy,
Qui ne ſongeois iamais à Elle.

40. *Hominis Pigri, atque Otioſi.*

IOANNES ſub eo requieſcit Marmore *quidam*,
(Dicere ſi fas ſit:) Cum Piger uſque fuit.

Idem Gallicè.

D'un Faineant.

IEan ſous cette Pierre cloſe
Repoſe; Si l'on peut bien
Dire ſans mentir, Repoſe,
D'Un, qui ne fit jamais rien.

41. *Duorum Gibboſorum ſimul Sepultorum.*

PAr Gibboſorum docet hoc Te, Chare Viator:
Et Montes tandem poſſe coire duos.

Idem Gallicè.

De Deux Boſſus, enſevelis enſemble.

PAſſant, *ces deux Boſſus vous montrent,*
Qu'on vous trompera deſormais.
Si l'on aſſeure, que jamais
Deux Montagnes ne ſe rencontrent.

42. PAQUETI, *Hominis Stolidi.*

PAQUETUS jacet hîc, Bombardæ à Fulmine tactus:
Altiùs erigeret cum Caput ille ſuum.
Scilicet inſeruit Capiti Sors provida Plumbum:
Ut moriens ſaperet, qui anteà Stultus erat.

Idem

Idem Gallicè.

D'Un E'cervelé.

CY gît un Fou, nommé Paquet:
Qui mourut d'un Coup de Mousquet,
Voulant trop haut lever la Crête.
Mais pour moy, ie crois, que le Sort
Luy mit du Plomb dedans la Tête,
Pour le rendre Sage à la Mort.

43. *Canis Suspensi.*

NUper Presbyterum sinè causâ impunè momordi;
Hæreticum allatrans, mox ego fune necor.

Idem Gallicè.

D'Un Chien pendu.

POur abbayer un Huguenot,
L'on m'a mis en ce piteux Etre.
L'autre jour ie mordis un Prêtre:
Et Personne ne m'en dit mot.

44. HENRICI *cujusdam suspensi.*

HIc valido HENRICUS suspensus Fune quiescit:
Dum Ventus cessat, mitis & aura favet.

Idem Gallicè.

De GANELON pendu.

ENce Gibet Henry repose.
Quand le Vent cesse, ou qu'il est bas.
Quand il vente, c'est autre chose:
Vous diriez, qu'il ne s'y plait pas.

45. *Vitiosi.*

HOc jacet in Tumulo præsigni Corpore præstans:
Saltus & Cantus qui benè doctus erat.
Versus pangebat, quales tolerabat Apollo:
Heroesque aliquos nobile Stemma dabat.
Sæpius in mediam primus prodîisset arenam:
Si Mars pro voto suppeditâsset eam.
De Bello, Terrâ, Pelagi Lunæque labore:
Scivit de Medicis, Jure & Utroque loqui.
Solerti didicit rimari indagine cuncta:
Unde tonet Cœlum, quæ sit Origo Nivis.
An Vir honestus erat? Minimè. Si cætera novit:
Hinc Doctus multum, sed parum Honestus erat.

Idem Gallicè.

D'Un Vicieux.

CY gît, qui fut de bonne taille:
Qui sçavoit danser & chanter;
Faisoit des Vers, vaille que vaille,
Et les sçavoit bien reciter.
Sa Race avoit quelque Antiquaille,
Et pouvoit de Heros conter.
Même il auroit donné Bataille,
S'il en avoit voulu tâter.
Il parloit fort bien de la Guerre,
Des Cieux, du Globe & de la Terre,
Du Droit Civil, & Droit Canon;
Et connoissoit assez les choses
Par leurs Effets, & par leurs Causes.
E'toit il honéte Homme? Ah! non.

46. *Prodigi.*

HAc jacet in foſſâ patrii Decoctor Agelli:
Uno qui abſorpſit Gutture mille Bona.
Opportunè obiit: Nam ſi vixiſſet ad horam;
Importuna Fames enecuiſſet eum.

Idem Gallicè.

D'Un Prodigue,

CY gît un vray Gale-bon temps,
Qui a prit tous ſes Paſſetemps:
Et qui eſt mort tout juſtement.
Car s'il eut vêcu ſeulement
Jusques au ſoir au lendemain,
Auſſy bien fut il mort de faim;
Car il étoit leger d'argent:
Priez Dieu pour ſon Sauvement.

47. *Alicujus Domini, felici Memoriâ, at perexiguo judicio præditi.*

F*Elicis* iſthîc *Memoriæ* Dominus jacet:
Expectat & in hoc ille *Judicium* loco.

Idem Gallicè.

D'Un Seigneur, qui avoit beaucoup de Memoire, mais fort peu de Jugement.

CY deſſous cette Lame noire,
Gît Monſieur d'heureuſe Memoire:
Ou il repoſe douçement,
En attendant le Jugement.

48. *Hominis è Patibulo ſuſpenſi.*

PArcæ neverunt furacis Stamina Vitæ:
Reſtio ſed nevit Stamina dira Necis.

Idem Gallicè.

D'un Homme pendu.

CY gît, dont, s'il t'en prend envie,
Tu sçauras en trois mots le Sort.
Une Parque a filé sa Vie:
Un Cordier a filé sa Mort.

49. IANSENII.

QUi teris hunc Tumulum lacerum, flamasque vomentẽ:
Quæris, quod Monstrum Marmora scissa tegant?
JANSENIUS jacet hîc, qui Dogmata sparsit in Orbem
Impia, perpetuis Dogmata digna rogis.
E Vaticano mox Monte Giganta superbum
Straverunt sacrâ Fulmina missa Manu.
Vis infelicem Sortem vitare, Viator?
Vita pestiferi Crimina fœda Viri.

Idem Gallicè.

DE JANSENIUS.

PAssant sur çe Tombeau vomissant Feux & Flammes,
Ecorné ça & la, rompu en mil endroits:
T'oblige à demander, qui gît sous cette Lame?
Cy gît Jansenius, *Ecrivain maladroit:*
Qui sentant le Fagot a ressenti la Foudre,
Que le Mont Vatican a sur luy décoché;
Et a dans un moment mis ce Geant en poudre;
Pour fuir son Malheur, évite son Peché.

50. *Turpissimæ Pessimæque Fœminæ.*

FOetet in hâc Fossâ turpis, scelerata Megæra:
Stymphalidum Vomitus, Progeniesque Stygis.

Mortua

Mortua non fœdis rodetur Vermibus: apta
Illorùm quæ cùm viveret, Eſca fuit.

Idem Gallicè.

D'une Femme Laide, & Meſchante.

Cy deſſous gît une Enragée,
Qui fut des le berçeau ſans grace & ſans appas.
Les Vers ne la mangeront pas:
Car ils l'avoient déja mangée.

51. *Aliud.*

IPſam Malitiâ & Formâ ſuperavit Erinnim;
Inviſas Clades Lumina fœda notant.
Nè plores Mortem, cum tranſis, Chare Viator:
Vita ejus potiùs ſordida flenda fuit.

Idem Gallicè.

Autre.

EN Laideur, en Malice elle fut ſans ſeconde:
Ses Yeux annonçoient les Malheurs.
Paſſant, ſur çe Tombeau, ne verſe point de Pleurs:
Il valoit mieux pleurer, lors qu'elle vint au Monde.

52. *Aliud.*

HIc Vitii Tumulum cernis, Finemque Malorum:
Eumenideſque Angues hîc poſuêre ſuos.
Supplicium noſtri Sexûs fuit illa ſupremum:
Horror ſed Sexûs Opprobriumque ſui.

Idem Gallicè.

Autre.

C'eſt içy le Tombeau du Vice:
En çe lieu Linganſer termina ſa fureur.
De ſon Sexe elle fut l'horreur:
Du nôtre elle fut le ſupplice.

53. *Scelesti Naufragi.*

OSsa tenet Littus, Carnem Mare, Spiritum at Orcus;
An capiet tantum vastior Urna Virum?

54. *Aliud.*

POntus habet Corpus: sed turpem Animã tenet Orcus;
Illuc sive Solò, par Via, sive Salo.

55. HEBERIS, *Hominis Invidi.*

HIc jacet Invidiæ Monstrum, Vitiique Latrina:
Opprobrium Terræ, nomine dictus HEBER.
Si illi Mors dentes non excussisset acerbos:
Absque gravi certè Vulnere Nemo foret.
Defunctos etiam morderet Mortuus ipse:
Qui Vivos Vivus Dente momordit Apri.

56. MARFODII ET HEMITHEÆ.

PAr latitat Tumulo mirabile Conjugum in isto:
MARFODIUS Conjux, HEMITHEA Uxor erat.
Et Genus, & Natura pares ita fecerat ambos:
Ut Mors crudelis jusserit esse pares.
Qui castum HEMITHEÆ Pectus transverberat Ensis,
MARFODII Pectus Connubiale ferit.
Amborum Fatum nequiit generosius esse:
Attamen id felix debuit esse magis. (*)

(*) *Vide Historiam hanc fusè descriptam à Ioan. B. de Beau, Poltano Gall.*

57. Crumenæ.

SIste, VIATOR, iter: Miramque intellige Mortem;
Hic expers Animæ Magna CRUMENA jacet.
Auro imple Vacuam: Mox & de Morte Resurget:
Sic THAUMATURGUS, Chare VIATOR, eris.

Idem Germanicè.

Eines Beutels.

HIer liegt ein Beutel / der ist todt: die Seel ist ihm entwichen:
Thu Gelt darein / das Leben wird bald wider in ihn kriechen.

58. Cor.

58. Cornuti.

COrvis in fœdo, Canibuſque exponitur Agro;
Hoc Tumulo eſt dignus Cornua plura gerens.

59. *Enochi.*

NOn jacet hîc ENOCH: ſed cuncta Jacente jacebunt.
Ante-que-quàm jaceas, illacrymare Tibi.

60. *Cujuſdam* ICHTHYPHILI *in Stagno ſubmerſi.*

QUi Vivens tam avidè Truttamque Lupumque voravit:
Eheu! Nunc merſum Trutta Lupuſque vorant.

61. *Domini & Servi.*

HIc recubant uno Dominus Famuluſque Sepulchro:
Dic nunc, quis Famulus, quiſque, VIATOR, Herus?

62. *Cujuſdam Profeſſoris Theologiæ Moralis, qui à Gradibus Domûs prolapſus mortuus eſt.*

QUi docuit *Caſus*, heu! *Caſu* mortuus uno eſt;
Sic Mors & Doctos ludere ſæpè ſolet.

63. *Cujuſdam Potatoris in Tumulo aquoſo Sepulti.*

OSor Aquæ jacet hîc, Vini, dum vixit, Amator;
Mortuus heu! putridam jam miſer haurit Aquam.

64. *OVVENI.*

INſignis Vates, ſed non ita caſtus Achates:
Vix obit OVENUS, plorat & alma Venus.

65. AUTORIS.
(Inſcribendum.)

Hîc jacet inverſus, fecit qui ex tempore Verſûs;
Hûic ter *Ave* proſper dicito, terque *Pater*.

FINIS LIBRI SEXTI.

POETA
AD SUAM MUSAM.

IAm Tuba terribili Sonitu Taratantara dicit:
　Tympana jam reboant: Totaque Terra fremit.
Heûs, LYRA longinquo mox abſcondatur in Antro;
　Et Tu, nè pereas; Illicò, MUSA, fuge.

ALIUD.

MUSA ſile: ſileatque Fides Teſtudinis audax;
　Sacræ dum Leges inter & Arma ſilent.

ALIUD.

MUſica nulla placet, verùm importuna dolenti eſt;
　Muſica ſola placet, cum Dolor omnis abeſt.
An ridere æquum eſt, aliis plorantibus? Ah! non.
　CANTATUM SATIS EST, ABIICE, MUSA, LYRAM.



INDEX.

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM.

Prior Numerus Librum: Posterior Epigramma denotat.

A.

B.

Bernar-

Helluo.

Luxu-



Table Des Vers François.

Le 1. Nombre signifie le Livre, le 2. l'Epigramme.

Rouſſ.



Verzeichnus der teutschen Versen.

Die 1. Zahl bedeut das Buch / die 2. das Epigramma.

FINIS.

Errata in quibusdam Exemplaribus.

Pag. 7. Lin. 12. Post *Trimulum*, Adde: *Commentariis illustrata.*
Pag. 47. Lin. 20. *lathale*. Corrige: *lethale.*
Pag. 82. Lin. 29. *Post Gabr. Haug.* Adde: *Episcop. Tripolit.*
Pag. 101. Lin. 8. Pro Numero 80. Repone 79. & sic deinceps.
Pag. 107. Lin. 20. *Dien* Corrige: *Dieu.*
Pag. 159. Lin. 15. *mortem* Corrige: *mortem.*

Reliqua leviora, & Impressionem haud ità tersam, Operarum Festinationi benevolus Lector adscribat. Si hæc Musarum juvenil. Pars. prima I. placuerit, neque Mars aut Mors obstiterit; Reliquæ brevi sequentur,

